LV
99
5

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LV
G
77
NAPOLI

LV
8
77

LITTERAE SOCIETATIS IESV E REGNO SINARVM

Annorum M D C X. & X I.

Ad R. P. CLAVDIVM Aquauiuam eiusd. Societatis Præpoſitum Generalem.

Auctore
P. NICOLAO TRI-
gautio, eiuſd. Societatis.

AVGVSTAE VINDELICORVM,
apud Chriſtophorum Mangium.

M DC XV.

COLL. NEAP. SOC. IESV
IHS
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III NAPOLI

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAXIMILIANO, Comiti Palatino Rheni, vtriuſque Bauariæ Duci, &c. Domino Clementiſſimo.

CVm è Sinis nuper, Sereniſſime Princeps, negotiorum cauſsâ in Europam redire iuſſus eſſem, alienum fore arbitrabar, ſi præter cæterorũ morem è tam amplo regno uacuus redirem. Placuit igitur, itineris mei teſtimonium in Europam ferre, non quidem, vt alijs inde redeuntibus mos eſt, montium arcana & fuluam terram, non marium

ſpolia, ſeu Erythræos vniones, non ſiluarũ delitias, Sabæasq́; ſegetes, non Serum labores & pretioſam vermium texturam, omnia olim peritura: ſed delegi rem & inſtituto meo congruam, & tamen magnitudine nullis facilè mercibus cedentem. Partem enim alij, ego totum Sinarum regnũ in terras alio ſole calentes, mecum deuexi: rerum ſcilicet in eo regno geſtarum commentarios; quos, quantum per nauigationem & nautica impedimenta licuit, in itinere deinceps concinnaui, tumultuariè fateor, ſed verè & cum fide. Neq; putaui gratius me quidquam Europæis Chriſtianis afferre poſſe, quam ſi cognoſcant

nouam

nouam Ieſu Chriſti coloniam in præſtantiſsimum illud ſimul & remotiſsimum Aſiæ regnum tot retrò ſæculis, mille ſeris veritati occluſum, nunc demum reſeratum, deductam eſſe. Cum verò expoſitas haſce merces in lucem dare ſtatuiſſem, id vnum ſpectaui, cuinam Chriſtianorum Principũ eas primò ſpectandas & arbitrandas offerrem. nec quæſiui diu. occurrit protinus tua, Princeps, Serenitas; quam eo quo potui modo, & hac ſcriptione meâ venerari par fuit. nec id vnâ tantùm de cauſsâ. Vt taceam alias omnes, ea certè in auitam religionem tua eſt pietas, ea in ſocietatem noſtram eſt beneuolentia tua, illa ſunt be-

neficia, vt iure meritiſsimo meos hoſce commentarios nomini præſertim tuo inſcriptos voluerim. Germania loquitur quam conſtantiæ & pietatis facem præferas, dum tantæ ex aduerſo tenebræ tam variè obluctantur. Eo porrò in ſocietatē IESV affectu, tua Serenitas, maioresq́ tui feruntur, vt huius rei fama, iam pridem per maria expeditiſsimo curſu in Sinas usq; nauigarit, priusq́ pænè de tuâ pietate Sinæ audiuerint, quā de Sinis Europa. Accipe igitur, Princeps Ser^me^. hoſce meos de rebus Sinenſium commentarios, beneficiorum in nos tuorū pignus tametſi longè impar. maiora quidem (quis neſciat?) magnitudo

tua

tua poſtulat; minora tamen (quis ambigat?) modeſtia tua non recuſat. Continet verò hæc à me ſcripta hiſtoria res in Sinis biennio geſtas, & eas potiſsimùm quæ cū bono rei Christianæ geſtæ ſunt. quæ omnia profectò, eò maiore deſiderio, legentium alij peruoluent, quò magis à te probata eſſe intelligent. Bonus Deus, iacta apud Sinas Chriſtianæ fidei ſemina potentiâ ſuâ producat, & florentem Bauariæ agrum clementiâ ſuâ conſeruet. Romæ Calendis Martijs, Anno M D C X V.

Serenitatis veſtræ.

addictiſſimus

Nicolaus Trigautius,

è Societate IESV.

APPROBATIO.

ANnuas litteras Sinenſes à R. P. Nicolao Trigautio Soc. Ieſu conſcriptas, & ab aliquot eiuſdem Societ. Patribus cenſas, probataſq́, ego Melchior Hãrtelius Societatis IESV *per Superiorem Germaniam Prouincialis datâ mihi ad id à R. P. Ferdinando Alber noſtræ Societatis Vicario Generali poteſtate in lucem dari permitto; fidemq́, manu meâ facio, & more Societatis conſigno. Ingolſtadij 25. Iulij, Anno 1615.*

Melchior Hãrtelius.

Litteræ

Litteræ annuæ ſocietatis Ieſu è Regno Sinarum ad R.P. N. Claudium Aquauiuam eiuſdem Societatis Præpoſitum generalem Anni 1610.

QVas in hoc vaſtiſſimo Sinarum Imperio, vel vt ipſi appellant, orbe terrarum, ſocietas noſtra fixit ſedes, tanto inter ſe diſtant interuallo, vt vnius anni res geſtæ non facile poſſint in vnum compilari: hinc ſæpe factum eſt annis ſuperioribus, vt ſi non omnino deſiderarentur, ſaltem mutilę diſſolutæque in Europam nauigarent, dum ſingula domicilia res apud ſe præclarè geſtas, non ad vnum aliquem ſcriptorem, qui vnum è ſingulis membris litterarium corpus efformaret; ſed ad P. V. ſingulatim deſtinarent. Huic malo vt obuiam iretur, nihil aptius viſum eſt, quàm annuas litteras poſt annum ſcribere; ſic enim futurum erat, vt ſerò

licet, ſed tamen aliquando peruenirent. Huius moræ tarditatem nemo mirabitur, qui ſcierit vnam eſſe Indicis nauibus è Macaënſi Sinarum portum, Ianuariô ferè menſe, nauigandi tempeſtatem, quæ ſi elapſa fuerit, non niſi cum anno redeunte reuertitur: ſed neque hoc ſemper ſatis eſt ad litteras noſtras ex vltimis terrarum oris tranſmittendas: nam ecce tibi anno 1613. ante triennium geſta tranſmittimus. Nam ego in itinere hoc meo Romano litteras anni 1610. hærentes adhuc in India, Aprili menſe anni præſentis reperi. Et verò quoniam auctoritate P. V. latino ſermone ſcriptas anni 1611. mecũ deferebam, faciendum omnino putaui, vt illas latinitate donatas, his adiungerem, Luſitana exemplaria Indiæ ac Luſitaniæ relinquens: quò ſic & harum rerum cupidis citius fieret ſatis; & interpretes, locorum negotiorumque ignari, periculo errandi liberarentur.

De politico Sinenſis imperij ſtatu.

Exemplum ab Iaponicis annalibus mutuatus, prius quam ad ſingula domicilia deſcendam; de politico, deque ſocietatis, ac denique de rei Chriſtianæ in vniuerſum ſtatu pauca præfabor. Et quoniam biennij huius ferè fuit harum rerum idem ſtatus, hæc tria vtriſq; annalibus communia eſſe moneo. Cætera, quæ de ſingulis

gulis domicilijs dicturus ſum,quo quæq; anno contigerunt,referentur. Quas perturbationes ac rerũ vices bellici tumultus ſuppeditant annalibus, eas mutua pax tollit,potiſſimũ ſi fuerit diuturna. Id in hoc imperio licet vaſtiſſimo,ſi vſpiã alibi toto terrarum orbe,videre licet.nam Prouinciæ vel potius Regna decem & quinque ſic ab vno gubernantur, vt bene compoſiti corporis membra vnius animæ velut nutu vegetantur. Id omnes etiam ipſi Sinæ ſolent admirari, acceptumque referre litterarijs ſuis exercitationibus; quibus inſudant,quotquor animis ad alta aſpirant,tutius ſumma quæque adepturi; quam varijs rebellantium euentibus; potiſſimum cum nulli,ne infimo cuique, clauſus ſit aditus ad maxima; ac nulla prope ſit dignitas, niſi quam ſibi quiſque fecerit; & ſi qua ab Regio ſanguine nobilitas eſt, ea nihil publici muneris attingit, ſed totam in annuo prouentu, qui etiam in magiſtratuum manibus eſt,conſeruat maieſtatem: hinc fit vt Regius ſanguis ab omni publico munere ſemotus,nihil poſſit; & cæterorum animus ſuis ſtudijs occupatus, eorumque ſtudiorum ſperato præmio lactatus,nihil vltrà velit. Qui nunc & ab annis quadraginta regnat inſigni eſt prudentia,ſed tanti Principis virtus ijs fœdatur vitijs, quæ à veri cultus experte decet expectare. Regni hæredem longe aliter tractat,quam vel eius dignitas, vel pater-

nus amor poſtulat: nam cum ſuperioribus annis alium ætate ſecundum inaugurari totis viribus conatus ſit, gratioſiorem illum, & gratioſioris Reginæ filium, idque non impetrarit, obſiſtente Regno vniuerſo (cuius magiſtratus omnes, qui tum in aula complurimi verſabantur, depoſitis & ad palatij parietes appenſis dignitatum inſignibus, ſeſe abdicabant) alieniore ſemper in eum animo fuit, quem vellet nollet regni hæredem nominarat. Itaque cum nuper Principis Parens ex ea ægritudine, quæ mortem ei attulit, decumberet; vix à Patre filius, vt morituræ parentis extremum ſpiritum exciperet, impetrauit; ſed tamen vt ſine arbitris eam viſeret; extorqueri non potuit; nam Eunuchi duo adiuncti ſunt, dictorum omnium teſtes quæ ad Regem referrentur. Parens filium ſolata, dixiſſe fertur, bono animo eſſet, inopiamque fortiter ferret (vix enim ei neceſſaria ab Rege ſuppeditantur, & cæterorum nemo Regis metu id audet) nondum in Imperio Sinenſi contigiſſe, vt Rex aut Regni hæres fame interiret. Mortuam porrò Principis Matrem vetuit Rex ſolito luctu pompaquê publicè honorari.

Rex Idola non colit, ſed vel nullum præter ſe numen nouit, vel ſi ſuorum maiorum obſcura veſtigia ſecutus, vnum cæli dominum ac ſupremum rerum omnium Gubernatorem non abnuit, ita cum colit; vt minimè noſſe videatur.

Eius-

Eius porro mater vetula, quò inferis propior, eò in falſorum Deorum ſimulacra religioſior euadit. Varijs enim in locis fana extruit, aut innouat, fanorum miniſtros alit; idque tanto ſumptu, vt vno in cœnobio ſupra mille ſuſtentet. Quamobrem in aula (quanquam vbique deſpicatiſſimum eſt hominum genus) ij paulo lautiùs habentur. Vnde vulgi dictum eſt; In vrbe Regia Hó-xám, (ſic enim profanos ſuos ſacerdotes vulgò appellant Sinæ) in Prouincijs Magiſtratus coluntur.

Non omittendum mihi videtur hoc tempore crudeliſſimum ſcelus ſeueriſſimè ab magiſtratibus ac Rege expiatum. Sinæ ad inſaniam prope, vitæ longioris (quia æternam ignorant) præcepta conſectantur. Hinc fit vt impoſtores multi toto regno ea per fas nefasque venditent. Ex ijs vnus, isque litterario gradu inſignitus, qualis apud nos eſt licentiatorum, hoc artificiò magnas opes ſibi comparabat. nam vt nouum aliquid auderet, non dubitauit è coëmptorum puerorum ſanguine, quos clam per ſummum nefas mactabat, pharmaca componere. Ea res domeſticæ pellicis vnius, quas habebat quam plurimas, indicio foras erupit. Comprehenſus eſt, ſceleris conuictus, ac tandem à dubijs diu magiſtratibus, quà pænà tantum ſcelus expiarent, hoc ſupplicio damnatus eſt, vt ad palum alligati viuum corpus, reſectis nouaculà ter mil-

le carnis fruſtulis, laceraretur, qua in carnificina quoad fieri poſſet parceretur vitæ. Hæc ſententia ad Regem refertur, vt eam ex more in re tam inſolenti comprobaret. Is reſcripſit eam pœnam ſibi etiam imparem tanto crimini videri; ſed quia maiorem nullam inueniret, ſibi arridere. Itaque nocens innocentium ſanguinem ſuo tamdiu luit, quamdiu toto in corpore locus aliquis vulneri patuit, inter mille fruſta diſcerptus. Hæc breuiter præfari viſum eſt, ne neſciretur quo in ſtatu res huius regni publica verſaretur. Sed nunc ad ea quæ ſunt inſtituti noſtri propria, ſermonem conuertamus.

De ſocijs in hac expeditione Chriſtiana vniuerſim.

Hoc de quo agimus, biennio numerauit ſocietas noſtra in hac expeditione Chriſtiana viginti, acceſſitis in numerum duobus, qui hoc ipſo temporis curſu ad ſuorum laborum præmia euolarunt, de quibus ſuis locis. Reliqui duo deviginti conſtant è ſacerdotibus Europæis vndecim, & ſeptem fratribus Patrum adiutoribus; hi ſunt eorum Sinarum filij qui iamdudum Chriſtianis ſacris imbuti, in Macaënſi, PortuLuſitanorum oppido degunt, iam nō religione ſolum, ſed etiam cultu ac educatione magis Europęi prope, quam Sinæ. Hi omnes in quinque,

domici-

domicilia diſtributi (quanquam priore huius biennij anno erant quatuor dumtaxat) modicum fermentum, ingentem maſſam condire pergunt, & vt laboribus ſufficerent, valetudine ferè vſi ſunt proſperâ. Verum animi vires non parum promouit Iubileum S. D. N. Papæ Pauli V. quod licet ſerò, tandem tamen ad nos aliquando peruenit, ſperatosque, vt ſperamus, fecit fructus; maximè cùm in Superioris viſitationē inciderit, qui ſedes noſtrorū omnes (quoniam è Xauceana ſede, quæ prima noſtros ingredientes excipit, in aulam Pequinenſem, ſedium noſtrarum remotiſſimam, ſeſe conferebat) ex itinere viſitauit. Id vt fuit nouum, ita gratum atque fructuoſum. Cum enim bonæ memoriæ P. Mattheus Ricius (de cuius fælici tranſitu mox dicemus) neceſſariò in aula reſideret, omnibusque idem præeſſet, mutuo ferè litterarum commercio omnia gerebantur; niſi ſi quando extra ordinem viſitatio inſtitueretur. Cum itaque P. Nicolaus Longobardus, qui Xauceanæ ſedi iam multos annos in magna temporum varietate præfuerat, in demortui locum ſuffectus eſſet, auditâ Patris morte ſubſtitit, dum ſperatum ab ſocijs Macaënſibus de more ſubſidium exciperet, quod etſi fuit ſpe minus, & noſtrorum paucitati reique familiaris inopiæ tam impar, vt ſuſtentari omnino hæc expeditio non poſſe videretur; tamen vt diſcamus è diuina manu pen-

dere, non ſolum viximus, & antiquum tenuimus, verùm etiam animus fuit, ad templum perelegans in NanquinenſiRegia meditandum, & intra eundem annum perficiendum. Aucti etiam ſumus ſede noua in habitatiſſimo vt fertur totius Imperij Sinenſis emporio: nihil enim difficile eſt Domino mira facere, vt cum ſacris litteris loquar, in multis vel in paucis. Sed hæc ſigillatim infra ſuis locis.

Dominus itaque meſſis in hunc agrum ſuum tres hoc tempore nouos operarios euocauit. Hi fuere, P. Felicianus à Silua Luſitanus, qui biennio ferè ante deſperatam valetudinem ad ſpem reducturus,in Macaënſe Collegium ſuperiorum authoritate conceſſerat, eaque confirmata (licet non inutilem ibi indigenis, qui è Luſitanorum conſuetudine & commercio in noſtra ſacra tranſeunt, operam daret) ad intermiſſam tamen ſtationem veteranus iam tyronum ductor redibat. Tirones verò duo fuêre, P. Emanuel Dias,etiam Luſitanus, qui totos ſeptem annos in eodem Collegio Theologiam profeſſus,ita neceſſarius ibi iudicabatur,vt nonniſi admotis machinis,hanc arcem expugnarit. Alter fuit P. Nicolaus Trigautius Belga qui hoc eodem anno ex India aduenerat. Hi tres cum in Xauceanam ſedem ipſo D. Thomæ totius Orientis Apoſtoli die feſto perueniſſent, excepti ſunt ſolitis ac inſolitis Patrum, qui ibi reſidebant,

bant,officijs, P. Nicolaus Longobardus domo breui compoſitâ & P. Gaſpari Ferreiræ commendatâ, relictoque illi ſocio Patre Emanuele Dias cum reliquis duobus in interiora regni iter arripuit. Hoc iter paucis perſequi hoc loco viſum, quoniam nullius eſt priuati domicilij, & habet nonnulla ſcitu vel neceſſaria, vel non iniucunda.

Bene auſpicato die, quo Magi ſtella duce ſolem inuenerunt, iter aggreſſi paucis poſt diebus extremam Prouinciæ Cantonienſis vrbem Nan-hium nomine tenuerunt. Ibi magna facilitate tranſmiſſo ponte, non ſine numine, magiſtratuum qui viatores eo in telonio explorant, diligentiam euaſerunt. Hinc iter eſt tereſtre diei vnius, medius enim eſt mons præruptus inter duo flumina, quæ ex eo naſcuntur qui olim natûra inuius, factus eſt arte peruius; diffiſſis, vt olim Alpibus ab Annibale, ita hîc rupibus, inter quas ea apparent præcipitia, quæ, licet tutis, viatoribus horrorem incutiant; Et tamen ita facile redditum eſt hoc iter, vt è ſella geſtatoria baiulorumque humeris nihil opus ſit toto itinere deſcendere. In montis apice fanum eſt perelegans illi extructum qui hoc iter aperuit, Is fuit è Cantonienſi Prouincia oriundus quidam, cum ſummum totius regni gereret magiſtratum, Colaum vocant, quod nomen antiquum regni propugnaculum ſonat. In eo templo ſta-

tua illi erecta, ad eamque ſuffitus perpetuus, non cultu Numinis, ſed beneficij memoria, conſtitutus eſt: Templi parietes & area varijs in beneficij laudem poëmatis marmori inſculptis exornatur.

Hunc morem Sinæ erga publicè bene meritos obſeruant. Inde mox in eo ipſo vertice porta eſt ingens Cantonienſis & Chiamſinenſis Prouinciarum limes.

De hoc monte, qui diei vnius iter habet, omitti non poteſt res memorabilis. Ex hac prouincia in reliquum orbem Sinicum, & viciſſim, frequens eſt commercium. Itaque merces, quas duorum nobiliſſimorum fluminum ora continuò euomunt, baiulorum humeris hinc inde tranſmittuntur, quorum numerus ſupra tria millia eſſe perhibetur; præter iumenta, quibus etiam onera conuehuntur. hæ merces hoſpitiorum dominis commendatæ, tanta fide tranſmittuntur, vt eò tota fides Sinica, quæ reliquo regno rara eſt, conuolaſſe videatur. Tranſmiſſo monte denuò nauigare aggreſſi, flumen ingrediuntur, quod initio anguſtum ac vadoſum, in eam deinde magnitudinem excreſcit vt Filij maris meritò nomen inuenerit. Initio dixi vadoſum, hyeme potiſſimùm, quo tempore contrà quam in Europa, maxima eſt ſiccitas. Itaque eo tem pore multa nauigia ſcopulo & vadis illiſa diſſi liunt, nec vnquam ferè nauigatur ſine

obuijs

obuijs naufragiorum tabulis. Socios diuina bonitas non leui periculo, cum ad ſcopulum alliſiſſent, liberauit, & Nan-cham, alteram noſtrorum ſedem, indeque Nanquinum ſecundo flumine curſuque deportauit. Vnde ſuperior Pequinum cũ vno ſocio incolumes peruenere.

Hactenus in hac nouella Eccleſia baptiſmi forma ijs in caſibus, quibus neceſſitas Eccleſiæ ritus, ſacerdotaleſq; manus non admittit, vulgò vtebantur Neophyti latina, Sinicis Characteribus expreſſa. Id habebat periculi non parum, nam Sinarum Characteres longè ab Europæis diſtant, neque enim vlla habent elementa, vti nos, quibus aliarum linguarum ſonos ſcribendo effingant. Immo ſunt apud nos tres omnino conſonantes. B. D. R. quæ apud Sinas nullum omnino habent vſum, nec vllo è ſuis Characteribus effingi poſſunt. Itaque pro his ſonus aliquis quam minimè remotus eſt reponendus. Sonum dixi nam conſonantes ipſi vocalesque noſtras omnino non norunt (tot enim ſunt apud eos hieroglyphici characteres, quot ſunt res rerumque dictiones) habent tamen ſonos noſtris vocalibus aut conſonantibus, licet non omnibus, reſpondentes. Præterea nuſquam duas conſonantes, nulla vocali media, norunt. Immo exceptis M. & N. nulla alia conſonante terminant dictionem, ſed omnes in vocalem deſinunt. Ex his facile videre licet non paucos, ad

paucas illas Baptiſmi formæ dictiones ſcribendas, characteres tota lingua Sinica deeſſe, ac neceſſariò maximè vicinos alios ſonos aſſumi; quod etſi non eam videbatur adferre varietatem, quæ formam irritam redderet; tamen in re tanti momenti ſecuriſſimum eſt omnino ſecurius. Potiſſimum cum longe grauius ad hæc accederet, quod illi ipſi Sinici Characteres variè varijs in locis efferuntur, & in quibusdam ita diuerſi ſunt ſoni, vt nihil commune habeant. Itaque periculum erat, ne alicubi latinam formam Sinice ſcriptam ipſa vix latinitas agnoſceret, tanto animarum periculo. Denique vt hæc omnia nihil obſtarent, peregrinos, & quos non intelligebant, ſonos prope nulli fideliter memoriæ poterant commendare. Itaque in Neophytorum ſæpe oculis, qui tamen rei Chriſtianæ bene periti erant, Catechumeni formæ ignoratione, ſine baptiſmo decedebant, magno vtrimque iuſti doloris ſenſu. Huic malo itum obuiam ſublatis quibusdam quæ obſtare videbantur, factumque vt quam vnaquæque gens ſuo idiomate baptiſmi formam habet, ea quoque Sinenſis Eccleſia non careret; qua nunc vel pueri poſſunt ſalutaribus aquis eluere morientes: quod ſalutare inſtitutum annalibus dignum mihi viſum eſt, ne neſciretur à poſteris, quo potiſſimum tempore fuerit hoc in morem inductũ.

Affero denique hic vnum, quod vt ſcio læ-

tiſſimum fore, ita in huius capitis finem conſultò reſeruaui. ſcilicet videri nunc nobis omnibus, noſtrorum in hoc regno perpetuam ſtationem extra periculum eſſe; quam, vt ſperamus, nulla quantumuis aſpera perſecutio excutiet: nam faciliùs Sinæ nos in perpetuum conijcient carcerem, aut extremo ſupplicio afficient; quam adduci ſe ſinant, vt noſtros, iam intimè rerum ſuarum conſcios, è regno eijciant: qua enim ex cauſa illi aduenas intra fines ſuos non admittunt; eadem ſemel ingreſſos retinent. Id maximè patet è multis Mahometanorum millibus, qui in celeberrimis emporijs non impunè ſolum degunt, ſed neque à litterarijs honorum gradibus, neque à Reipublicæ muneribus excluduntur; tametſi ſint aduenæ, eorumque poſteri, qui ab occidente in hoc Regnum irruentes, illud ſibi quondam ſubiecere. Lex quoque eſt ab Sinis lata, quæ hodieque obſeruatur ea in vrbe, quæ Mahometanos ab occaſu negotiatores excipit, in Xenſi prouinciæ finibus (qua in vrbe Fr. noſter Benedictus de Goës Luſitanus, qui ex India Cataium luſtraturus venerat annis ſuperioribus diem ſuum obijt) ea inquam in vrbe lex eſt, vt ſi quis aduena nouem annorum ſpatio illius vrbis incola fuerit, ad ſuos redire ne permittatur. In cauſa verò noſtra ſæpe hoc patuit, ſed anno potiſſimum 1612. quo contigit noſtros Nauceana ſede pelli, non tamen ad ſuos, ſed

ad re-

ad regni interiora liberos dimitti, vt illius anni annales referent.

De rei Chriſtianæ ſtatu in vniuerſum.

Sapientiſſimus naturæ auctor vt tenuibus ſenſim incrementis rerum omnium erexit ætates, ita in ijs quoque, quæ ſupra naturam Diuinus fauor euehit, facere videtur. Itaque dum huius expeditionis Chriſtianæ initia lego, & intueor præſentia, videtur mihi non immeritò huius Eccleſiæ ſtatus ad obitum vſque P. Matthæi Ricij, qui hunc fætum obſtetricatus eſt, & tenerrimè educauit, infantia poſſe appellari. Ex eo iam tempore pueritiam ingredi, & ſenſim adoleſcere dici poteſt; vnde non abs re erit, paulisper in hoc velut duarum ætatum diſcrimine, nonnihil cum præteritis præſentia conferendo, breuiter oſtendere, quid hactenus perfectum ſit, in eorum maximè gratiam, ad quos ſuperiorum annorum litteræ, quas audio non ſemel defuiſſe, minimè peruenerunt. Id breuiſſimè faciam, nam hoc ipſo quoque anno nauigat P. Mathei Ricij hiſtoria, quam ille italico ſermone paucis ante obitum menſibus, velut futurorum præſagus, ad hæc vſque tempora iam inde à ſuis initijs concinnauit. In hunc etiam locum congeram ea, quæ non ſine nota omitti, nec ſine faſtidio poſſunt in ſingulis ſedibus legi: ea ſolùm ſingulis

gulis domicilijs reſeruabo, quæ cuique ita ſunt propria, vt cum reliquis non ſint vlla ratione communia.

Huius regni Tyrannidem humani generis hoſtis ita inuaſerat, vt planè omnes ad Chriſtianam libertatem aditus in perpetuum obſtruxiſſe ſibi videretur. Sed quia non eſt conſilium aduerſus Dominum, ita Euangelij ſui eo præcones immiſit, vt ſpe faciliorem, opinione fæliciorem prouentum reddiderit. Et quidem ita ſibi perſuadeant omnes neceſſe eſt, fidemque ijs habeant, qui rem manu palpant, plus his 30. annis, ex quo ſocietas in hoc regno ſedem fixit, eſſe perfectum, quàm integro ſæculo à peritis rerum æſtimatoribus, ſolito curſu rem metientibus, ſperabatur. Et rurſum plus hoc poſtremo biennio, de quo agimus, ex quo P. Mattheus Ricius diem ſuum obiens, rem Sinicam è cælo procurat (quod ipſe futurum longè ante prædixerat, vt infra narrabitur) quam reliquis omnibus retrò lapſis annis, vt ex his annalibus facile colligetur.

Initio Noſtri Profanorum Sinenſium Religioſorum habitu in Sinicum regnum ingreſſi, parum aut nihil annis prope viginti rem Chriſtianam promouebant. Sed tamen nec hoc ſine numine, neque enim alia vlla ad ingreſſum nobis via patuiſſet. Conceperant de Noſtris initio Sinæ nugacia quædam; qualia ſunt peritos eſſe

alchi-

alchimiæ, habere vitæ in multos annos protrahendæ præcepta (quæ duo Sinæ ad amentiam prope conſectantur) & tamen nec hoc ſine numine, neque enim alia vlla ad nos interim, dum cognoſceremur, retinendos via patuiſſet. Demum inſpirante Deo, Noſtri habitum cultumque mutarunt, in litteratorum Sinenſium ordinem, quantum Chriſtiana Religioſaq; profeſſio ferebat, tranſeuntes: Ex eo tempore omnia creſcere, cæperunt. Sanè primis illis temporibus, cum P. Mattheus Ricius pro aduena ſacrificulo haberetur; eaque neceſſariò toleraret ab omnibus, quæ deſpicatiſſimum hoc hominum genus ſolet, è noſtris fratribus vnus, qui hodieq; viuit, narrat, ſe, cum de hoc ipſo quereretur, quaſi amiſſa ſpe rei Chriſtianæ promouendæ, iuſſum bono animo eſſe, futurum breui, vt Patres noſtri cum ſummis illis magiſtratibus, quos Colaos vocant, conſiderent. Id tum incredibile viſum eſt, & paradoxum; at non hoc ſolum ei ante obitum, ſed maiora etiam poſt obitum contigerunt. Verum dicat aliquis, Neophytorum millia volumus, nō hos fumos, idem quoque credibile eſt eos velle, qui ſeipſos huic vni rei tot aditis periculis tam procul à ſuis, apud quos coli poterant, conſecrarunt. Sed velim omnino intelligant omnes, Sinenſem Miſſionē haud paulò aliter, quam cæteras, metiendam; cuius cardo in hoc vertitur, vt à Sinis cognoſcamur,

mur, nihil rerum nouarum moliri, nihil lucri ſpectare, ſolam Dei legem, eamque regni bono nihil aduerſantem, veniſſe propagatum; hoc ſi ſemel ſtabiliatur, erumpet vno impetu fætus, qui tanto labore concipitur. Itaque conſultò numerum fugimus (qui tamen iam ad quinque millia paucis annis excreuit) multitudinem declinamus, populares cœtus pertimeſcimus, tametſi neminem reijcimus, ne tot annorum labor vno die intereat. In hoc incumbimus, vt magiſtratùs nobis ac Deo conciliemus, futurum poſt hac ipſimet aiunt, vt vulgus eorum authoritatem ſequatur. Itaque rem Chriſtianam tantum proceſſiſſe credendum eſt, quantum authoritatis Diuina lex, eiſuque præcones ſibi compararint; tantum defeciſſe quantum indiſcreto ardore numerus excreuerit.

Sed quoniam de re Chriſtiana vniuerſim agitur; operępretium facturus mihi videor, ſi rationem noſtram in lege Diuina explicanda paucis aperuero; nam ea fortaſſe multum diſtat ab eo, quod nonnulli arbitrantur, qui nos velut per cuniculos ac latebras in Gentilitatis arcem irrumpere opinantur.

Initio igitur cum quotidiani domum ventitant hoſpites, ferè de rebus noſtris, itinere, libris, ſcientijs, illatus ſermo collocutionem aperit; tum quædam etiam petentibus oſtenduntur, vt horologium, clauicordium ſed potiſſimū

Imago Chriſti Seruatoris, quam nemo eſt hoſpitum, qui non viſat ac, licet adhuc Ethnicus, veneretur, edoctus primum non eſſe hanc effigiem vti cætera ſuorum idolorum ſimulacra, ſed ſummi rerum omnium moderatoris ac cæli Domini, à quo res omnes vt Principio atque fonte dimanant. Eum, licet omnis figuræ corporisquè ſit expers, poſtquam tamen è cælo in terras humanam ſpeciem indutus deſcendit, pingi à nobis hac ſpecie ac vultu ſolere. Inde ſermone ex vno in alium protracto, planè oſtenditur, quæ ab Idolorum cultoribus coluntur ſimulacra, nihil habere Diuini; quanquam non ita ſint hebetes Sinæ, vt in ſimulacris ſiſtant; ſed ea Deorum effigiem putant. Verum oſtenſo Deum eſſe vnum, ſæpe ad id confugiunt, ſaltem Dei ſeruos & amicos honore dignos, quod homines multa docuerint cum virtute coniuncta. Sed rurſus cum audiunt, de Deo nullum verbum locutos, omnes honores, templa, ritus ſibi arrogaſſe, facile dant manus. Inde ad alias eorum ineptias refutandas pergitur. De Pythagorica metempſychoſi, quam mirum in modum in hoc regno Idolorum cultores propagarunt, de hominis dominio in bruta, eaque mactandi libertate, & alijs quamplurimis diſputatio inſtituitur.

Cum his, qui antiqua ſuorum Regum, ſuique Confutij, Sinenſium Philoſophorum Principis, dogmata

dogmata ſectantur, alia planè initur ratio: nam oſtenditur quam noſtra nihil eorum placitis repugnent, Idem Numen, idem lumen, ſed quoniam vtrumque intra naturæ ſphęram illis micat, neceſſariò multas tenebras admixtas habere, quas Diuinus ille ſol ſuo aduentu diſcuſſit. Hinc de incarnato Dei filio, eiusque cauſis, deque Originis culpa, de anima immortali, de prœmio bonorum ac malorum diſſeritur. Hæc omnia cum Ethnicis quotidie planè ac lucidè, & in omni conſeſſu diſſeruntur, non quidem ſingula cùm ſingulis, ſed quæ pro loco ac tempore videntur opportunà. Ex his ſæpe fit, vt conuicti admitti in diſcipulos poſtulent; quod ritu Sinico fit in hunc modum. Ad ſeptentrionem collocata in aulæ capite ſede, vultu ad meridiem verſo (ſi quidem loci ſitus permittit) conſidet, qui in magiſtrum eligitur: Diſcipulus ex aduerſo quaterna corporis inflexione ſtans, & quaterna item poplitibus flexis, capite ad terram vſque demiſſo magiſtro cultum exhibet. Exinde per totam vitam in omni congreſſu conuiuioque Magiſtro ad latus aſſidet, licet ad maiorem poſtea dignitatem diſcipulus ſupra Magiſtrum euehatur. Hunc ritum noſtri minimè admittunt, tametſi nihil omnino profani cultus habet, aſſerentes eum honorem Deo, cuius ſe diſcipulos eſſe volunt, exhibendum, nos nihil eſſe, niſi eius interpretes ac præcones. Id modeſtiæ genus Sinæ ſu-

ſpicere norunt, qui ſoli mihi videntur inter Ethnicos demiſſionem agnoſcere & celebrare, faciliusque ſe ſubmittunt. Rogat deinde qui dedit manus, dari ſibi Chriſtianæ doctrinæ compendium, quod perlegat ac ediſcat. Sed iubentur primum attentè ſecũ ipſi perpendere, quid agant, & alio die, rê maturius agitata, redire. Sæpe hac ratione ſecundò ac tertiò remittuntur. Demum vbi iam ſatis ſibi conſtare videntur in ædem ſacram deducuntur. Ibi ſuper aram collocato doctrinæ ſacræ compendio, accenſisque cereis ac ſuffitu, quo ritu Magiſtrum ſolent, eum qui ſolus ac verus eſt Magiſter, venerantur; acceptoque ex ara ipſa libello, domum redeũt, Doctrinæ Chriſtianæ capita memoriæ mandaturi. Quod cum fecerunt, ad nos reuertuntur, ac tum demum verê ac ſeriò myſterijs noſtræ fidei omnibus imbuuntur; repetitisque his, quæ ſupra diximus, atque confirmatis, clarè ac dilucidè Auguſtiſſimum Redemptionis noſtræ myſterium, Chriſtique crucem ac mortem edocentur; ac nullus omnino ſacris aquis eluitur; niſi prius hoc myſterium ritè ac ſufficienter edoctus. Inde ad reliqua ſymboli Apoſtolici capita, orationéque Dominicam & Angelicam Salutationem ac Decalogi præcepta, tum deniq; ad Sacramenta, ſed potiſſimum Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ tranſitur: quod cum ſemel atque iterũ, ac ſæpè tertiò accuratè perfectum eſt, volenti

Baptiſmo

Baptiſmo dies indicitur. Hæc ferè ratio ſeruatur cum Tyronibus, nomen Deo daturis. Deinceps quibus auxilijs Neophyti foueantur, breuiter commemorabo.

Maxima eſt Noſtrorum cura, ne incultus ager accepti ſpem ſeminis fallat: itaque modis omnibus adlaborant, vt Neophyti in his, quæ iam Catechumeni audierant, confirmentur; ſed imprimis vt ne legis auditores tantùm & non factores inueniantur. Hoc potiſſimùm frequentibus domi noſtræ cœtibus conſequuntur, quam ad rem ſacrorum faſtorum indiculus Sinicè quotannis renouatur (ad annuam enim renouationem cogit anni Sinenſis ratio, qui lunæ periodis curſum determinat) ex eo indiculo Neophyti intelligunt, quibus diebus in ædem ſacram ſit ſibi commeandum, quod faciunt accuratè ſanè. Et hoc eo magis mirum eſt, quod in Re Sinenſi publica nullus ſit quieti deſtinatus dies, æque omnes labor atque cupiditas ſibi vindicarunt. His in cœtibus ſacroſancto Miſſæ ſacrificio interſunt, idque tanta modeſtia, nemo vt adeſſe videatur. Mihi ſæpè in mentem venit, ſi liceret Europæis Sinicam modeſtiam ritusque intueri, fore vt id multis ſpiritualis ſolatij dulces lacrymas excitaret. Nam quoties ſacerdos flexis poplitibus adorat, & quoties ad eos conuertitur, ipſi demiſſo in terram capite venerabundi, ritus noſtros imitantur; & vt gens eſt mirè ritibus

dedita, ſuſpicit noſtros, ijsque ſummopere delectatur. Hinc peracto Miſſæ ſacrificio, opportuna cohortatione ad officij ſui rationem excitantur, quam pari attentione excipientes, non ſine fructu in aures admittunt. Pro ratione feſtorum dierum non ſolum Chriſtianæ fidei Myſteria illis explicantur, ſed etiam ijs ritibus, quos ſuis Eccleſia temporibus inſtituit, imbuuntur. Nam & cereorum benedictio, cinerum, ramorumque diſtributio cum appoſita explicatione perficitur; quibus non ſolum fouentur illorum animi, ſed corpora etiam ſæpe recreantur; ſacrorum ramorum potiſſimum & aquæ luſtralis vſu, quibus pro pharmacis ad quotidianas ægritudines depellendas frequentibus auxilijs edocti vtuntur. Inuenerunt ipſi certum pharmaci genus ſibi admodum ſalutare. Sacri rami particulam aquæ feruenti imponunt, eam deinde aquam, & cum ea certiſſimam ferè ſalutem epotant. Sed omitti omnino non debet hebdomadæ maioris pietas, in qua ad memoriam Redemptionis noſtræ feria ſexta in Paraſceue ſolemnis Crucifixi adoratio inſtituitur, tanto cum doloris ſenſu, vt multis lacrymas excitet. Et ſanè qui hanc adorationem videt, nihil habet, quod Europæam pietatem deſideret, ſolam multitudinem ac ſacrorum ornamentorum apparatum inferiorem iudicabit. Neophyti porro noſtri his in cœtibus ad ſacramentorum frequentationem, potiſſimum

mum pænitentiæ, informantur. Itaque initio Sinenſis anni (qui in februarium ferè incidit qua de re anno inſequenti plura) feſtiſque ſolemnioribus, & aliàs ſæpe illud frequentant, magno tum ſuo fructu, tum Patrum ſolatio, qui animorum ſæpe puritatem & innocentiam admirantur: qui verò ad Auguſtiſſimum Euchariſtiæ myſterium magno delectu admittuntur, ij iam ſibi videntur Chriſtianæ pietatis apicem attigiſſe. In operibus quoque, quibus alienæ miſeriæ ſuccurritur, ſedulo ſe exercent, viſendis ægris iuuandiſque vel ſtipe corrogata, vel oratione, quam ſæpe vel ad ægri lectulum, vel in templo noſtro ſimul plures inſtituunt: qua in re magnum Chriſtianæ charitatis ſpecimen præſeferunt, Ethnicis admirantibus hãc in regno Sinico, in quo nulla eſt prope charitas niſi propria, nouitatem. Sed omiſſis alijs permultis, tandem ad ſingula domicilia deſcendamus.

Reſidentia Pequinenſis.

IN hac ſede tres è noſtra ſocietate Sacerdotes, fratres duo reſidebant primis anni menſibus. hunc numerum minuit Pater Matthæus Ricius huius miſſionis prope primus parens ac auctor; nam is Majo menſe ad ſuorum laborum præmia euolauit. Ei, quoniam multa habet minimè omittenda, poſtremum locum reſeruamus: nunc quæ huius domicilij reliqua ſunt præponamus.

Ex ijs qui nouum Chriſti gregem auxere, primus merito numerandus eſt antiquus ille rerum noſtrarum admirator Ligocun in Baptiſmo Leo appellatus. De eô multa repeterem è ſuperioribus annalibus, niſi ex hiſtoria vniuerſę rei Chriſtianæ, ſimul cum his, vt ſpero, lucem viſura, peti poſſent ea, quæ deſiderantur. Eum complures iam annos P. Matthæus Ricius in Eccleſiæ ſagenam ità compellebat, vt quibusdam prope nimius in eo colēdo videretur. Nam tametſi erat Ligocun maximæ non authoritatis ſolum, ſed etiam ingenij, non tantus tamen nonnullis videbatur, vt pro eo tantum iure bonus ſenex laboraret, eam potiſſimum apud Sinas in ex-

in extrema ſenectute exiſtimationem conſecutus. Nam id ætatis nihil dubitauerat proximè ſuperioribus annis in eius domum quotidie itare, mathematicam prælectionem ei præbiturus. Sed nimirum hac eſcâ illectum paulatim altioribus eum myſterijs imbuebat, & iam diu ipſum eò perduxerat, vt de fidei noſtræ veritate nihil hæſitaret. Sed is Polygamiæ nexibus impeditus, ſeſe minimè expediebat. Verùm hoc tandē anno dirupit omnia eius vincula Dominus. Regebat vnam è Prouinciæ Pequinenſis Ciuitatibus, & in aulam cum reliquis totius regni Collegis venerat ad Regem de more viſitandum. quamdiu in vrbe regia conſedit, frequens erat domi, nec ſolus; nam cum ſe ipſe Patris diſcipulum vel in omni ſermone vel libris etiam ſcriptis prædicaret, efficiebat, vti multi ad eum audiendum ventitarent, quem vir tantus tanta ambitione pro Magiſtro venerabatur. Intentus erat in omnem occaſionem bonus Pater; ſed ille nihil nuncquam aliâs, acrius ad veram animi libertatem aſpirabat: & iam data diſcedentibus Magiſtratibus dies appetebat. quo tempore nihil dubium eſt, acrioribus precibus amici ſalutem eſſe à Domino impetratam, qui noluit tot fruſtra labores vnius cauſa exantlatos. Nam cum abitum pararet, ſtitit eum Dominus graui ægritudine comprehenſum: Eam ægritudinem ſentit Pater à Deo ad animi ſalutem immiſſam;

Itaque ſibi minimè defuit, nam dies noctesque decumbenti aderat, & totus auctor erat, vti ne hoc momentum ad ſalutem comparandam negligeret, ea, quæ nollet vellet eſſet dimiſſurus, volens ſperneret ad gloriam quæ offerebatur conſequendam. Non multis machinis opus fuit in hoc metu: nam cum eum ad hoc adduxiſſet ægritudo, vt nihil dubitaret ſe ex ea moriturum, manus dedit, Polygamiæ obicem ſuſtulit, ſacris aquis elutus eſt. Tunc ad res ſuas diſponendas animum contulit, Patremque rogauit, vti ſui funeris curam in ſe ſuſciperet, quod apud Sinas vbi propinqui deſunt ſummo amicorum demandari ſolet. Centum aureos ſeponi iuſſit, eosque coram effigie Chriſti Domini ac Seruatoris Patri in manus dedit, ad Templi, quod tunc meditabatur, ſacellum concinnandum. His peractis, cum nouus Chriſti miles nihil prope de vita cogitaret, ægritudinis vi ſenſim ſe remittente, in ſpem vitæ reuocatur: nimirum Dominus hac eum ſibi arte adiunxerat, ab eoque obſequia impoſterum plura repetebat; quæ ille fidem ſuam cumulatè exoluens, egregiè præſtitit, ac etiamnum præſtat, quam in rem hos ipſos anni inſequentis annales appello. Filios ſuos, quos in aula habebat duos, & alium propinquũ, litteratos omnes, non ita pridem Patri tradiderat eluendos. Et hic fuit poſtremus Patris Matthæi Ricij partus in non ſterili ſenectute.

Sed

Sed non fuit hic vnus huius anni fœtus. prę-ter alios nonnullos, litteratorum gradibus inſignitos, (quales fuere pleriq;, qui in hac ſede Chriſtum agnouerunt) nobilis fuit baptiſmus filij non ignobilis Magiſtratus; is non ſolum conſcio ſed etiam inſpectante parente perfectus eſt, qui ſanctiſſimis illis ritibus ita captus eſt, vt ex Ethnico in Catechumenum repente euaſerit. pridie quam filius ſacris aquis elueretur, præmiſerat in Templum noſtrum ſatellitium ſuum, & curiam prope vniuerſam, deferendis floribus, cereis, odoribus in ædis apparatum, magno Patrum ſolatio, dum viderent Neophytorum baptiſmos ab Ethnicis parentibus tanto ſenſu cohoneſtari. quæ res nobis quotidie plurimorũ animos aperit; quibus ad fidei noſtræ ſanctitatem complectendam lucis iam Diuinæ ſatis eſt, virium ſua culpa nondum ſatis.

Excurrit alter è fratribus noſtris ad Neophytos vrbis Paotimſu itinere tridui excolendos, ab indigentia ſacerdotis noſtri factum vt ſolus iret, ſed tamen non ſine fructu; reperit eos extructa ædicula egregiè ſuum inſtitutum retinere, in eam ædiculam certis diebus à Neophyto quodam peritiore conuocati de officio ſuo rebusque ſacris colloquuntur, ad ædiculæ latus commodum addiderunt cubiculum ad excipiendum (cum adueniret) Patrem noſtrum; atque ita quadrageni ſupra centum procul à paſtori-

bus

bus ſeſe Diuino auxilio adiutos egregiè tuentur. Neſcio an horum exemplo adducti. ſed tamen ex alio oppido viri quindecim vna domum noſtram ad ſciſcitandum de fidei noſtræ capitibus aduenerunt. qui cum audiſſent quæ volebant, abierunt; Ex ijs plerique ad nos reuerſi Catechumenorum numero aſcripti ad Neophytorum apicem aſpirant. Ex alio item oppido venêre non pauci ijque Eunuchi palatini è ſupremis propinqui, ita Diuina lex ſenſim egreditur ſeque ipſam ſpargit, dum hæc ſemina maturam meſſoribus portantibus cum exultatione manipulos ſuos, parent meſſem. Hoc eodem anno Pater Matthæus Ricius domeſticas laxauit anguſtias. nam ædificium extruxit domeſticis vſibus perconimodum, ſex in eo cubicula diſponens in prima contignatione terna, in alia totidem, quibus vltimis liberam noſtris in habitatiſſima ciuitate fecit reſpirandi facultatem. prius enim præter domeſticos parietes vnum ſupernè patebat cælum, nunc vero proſpectus in ipſos vrbis muros, quod non eſt leue refrigerum continuo ſtudiorum labore fatigatis, additus eſt aquæ potabilis puteus, & alia huius generis.

Sed nulla ratione prætereundum mihi videtur eiuſdem boni parentis extremum opus, & in quo conficiendo confectus eſt. Nam cum ille Domino in terris primam ædem ſacram Europæo

pæo opere aſſurgentem apud Sinas erigit, illum Deus ad ſupremam illam ſuæ Maieſtatis ædem in cælos inuitauit. Iam diu ſacelli domeſtici anguſtijs excluſi noſtri Neophyti rem ſacram pro foribus ex ipſo atrio proſpectabant. Id in ſummo vel frigore vel æſtu (nam vtrumq; apud Pequinenſes prope ex æquo, ſuo vnumquodque tempore dominatur) erat perincommodum. Huic malo vt remedium aliquod adferretur, ſtatuerant Patres communi conſilio aulam opere Sinico capacem extruere: id conſilij ab indigẽtia rei familiaris acceperant. Eo enim ædificij genere ſumptui non parum parcebatur, verum ne ſacram ædem noſtram ad idolorum fani ſimilitudinem vel vt melioris ſtructuræ indigentia, erigere videremur, viſum eſt Europeæ molis exiguum ſpecimen Sinis hoc primum dare, quod etſi fuit quale vel areę vel rei familiaris anguſtiæ etiam anguſtiores permiſere, tamen à ſpectatoribus ita comprobatum eſt ædificium vt ſolis nobis vile haberetur; quibus nondũ Europæa illa culmina exciderunt Mirum eſt ſanè quam ingenui ſint Sinæ & quam facile ſuperbiam ſuam agnitæ ſubijciant veritati. Hanc ædem tametſi nulla Magiſtratuum auctoritate erigebamus, nemo tamen interturbauit, & vt nihil aliud feciſſet animos tamen dedit ad aliam anno inſequente auctoritate Regia diſturbatis idolorum Monſtris erigendam, nec Pequini ſolum

ſed

ſed & Nanquini inſignior moles auctoritate Magiſtratuum aſſurrexit. Sed hæc ſuis locis. Nunc tandem aliquando mæſti trahimur ad parenti optimo parentandum.

Degebat Pater Matthęus Ricius in vrbe regia Pequinenſi ea hominum de ſe opinione cōcepta quam Dominus ad Euangelij promulgationem ei conciliarat, quę tanta fuit tamque admirabilis apud gentem alioqui ſagaciſſimam & quę externos omnes in barbaris reponebat, vt eam non ſolum ſperare nemo, ſed ne optare quidem auſus fuiſſet intra paucos illos annos ex quo vrbem Regiam attigerat. Vna prope eaque continua occupatio eum, cum hoſpitibus, qui ex omni parte ventitabāt detinebat; quibus cum ex more, quem violari eſt nefas, viſitationis officium rependeret, hanc occupationem grauius etiam duplicabat. Ad hæc ad eum ex vniuerſo Sinarūm orbe, ignoti iuxta, & noti ſcriptitabant, multa de S S. lege noſtra, multa de vana Idolorum ſecta, multa de reliquis, quæ ſcriptis voluminibus ſparſerat, ſciſcitantes, quibus non abſque onere maximo reſpondebat: litteraria quippe apud Sinas ſcriptio ſupra modum ſolet eſſe accurata: quam ſcriptionem niſi etiam rebus accuratiorem reddidiſſet, multum de Fidei noſtræ, deque rerum, quas tractabat, opinione detraxiſſet. Præterea cum vniuerſæ præeſſet Miſſioni, ſociorum quoque litteris reſponderé

dere cogebatur; quos cum ille amaret tenerrimè, faciebat hoc ſedulò & prolixè. Nec tamen ideo, quod in tot eſſet negotia diſtractus, à familiari Neophytorum tenuium collocutione vnquam abſtinuit: quos ſemper animaduerſus eſt in ſummis negotijs eo vultu excepiſſe, quo maximum aliquem ex ijs, à quibus interuiſi ſolebat, optimatem. Imo iam hoc erat ei ſolemne, Neophytum, à quo viſebatur, quo tenuior eſſet, eo diuturniore ab eo colloquio detineri. His omnibus ſi addideris librorum, quos edebat ſcribendorum laborem, noſtris prælegendi aſſiduitatem, quam ad extremum vſque ſpiritum inter infinita negotia nunquam intermiſit, verè dicas, homini ad neceſſariam quietem vix tantillum temporis fuiſſe. Sed nimirum ita ingenioſus erat in tempore diſpenſando, vt ad exercitia ſpiritualia non ſolum ſufficeret, ſed etiam redundaret: neque enim ſtatis temporibus contentus, ſemper inueniebat, quod neceſſarijs alioqui occupationibus ſurriperet. Hæc omnia attonitos in eum rapiebant ſocios; dubios, quid primum mirarentur eiusne infatigabilem animum, an corpus: nam ab illo nullus non labor aſſumebatur, ab hoc nullus recuſabatur.

Hæc quæ dixi perpetua illi erant. ſed in hunc ipſum annum alia multa præter ordinem inciderunt, à quibus ita auctum eſt boni ſenis [illegible], vt obrui potuerit, fatigari non potuerit:

nam

nam in hoc tempus ceciderant ſtati ad Regem viſendum Magiſtratuum ex omni Sinarum Imperio concurſus, qui licet è ſingulis vrbibus pauciſſimi ſint, ad quinque tamen millia numerantur. Hoc eodem anno Sinicus ille Doctoratus, qui ſolum in aula confertur, ſuos concurſus habebat: nam tametſi trecenti, non amplius, ex omni numero ſeligantur; tamen ſupra quinque litteratorum millia in competitorum examen admittuntur. Vnde fit, vt quo tempore hæc accidunt, ipſa Pequinenſis Regiæ frequentia fiat ex commeantibus frequentior. Hæc frequentia mirum quantam ad boni Patris labores acceſſionem fecerit: nam cum hi cætus omnes eſſent litteratorum, qui eum vel iam ante ex vultu, vel libris ſcriptis nouerant, erant incredibiles in domum noſtram concurſus. Et incommodùm cecidit hic viſitationum torrens in ſacri ieiunij tempus: quo fiebat, vt prope quotidie refectio illi eſſet interrumpenda, ad hoſpites excipiendos; Et vt erat bonus ſenex religioſiſſimus ieiuniorum Eccleſiaſticorum obſeruator, adduci ab ſocijs nunquam potuit, vt ad intermiſſam ſemel refectionem ſe referret, aut horam mutaret, aut ſibi ipſi vel tantulum indulgeret. Hoc ipſo tempore Leo ille, de quo ſupra, in ægritudinem inciderat; hoc ipſo etiam ardebat ſacræ ædis extructio. Quæ omnia licet in ſocios diuiſa fierent illi leuiora; tamen in eum ſemper [illegible]

laborum maxima recidebat. Itaque cum die quadam ab hoſpitum viſitatione feſſus, domum repetiſſet, in lectulum ſe abiecit: initio arbitrati ſunt ſocij, ſolitam illius eſſe hemicranij ægritudinem, quam, cum ea vexabatur, aliquantula vnius diei quiete depellebat. Verùm interrogatus, aſſeruit alia eſſe omnia; ægritudinem è ſumo labore ac fatigatione ortam eſſe lethalem; quare non ſolùm nihil eſt turbatus: ſed non ita multo poſt interrogatus ab vno è ſocijs, quî haberet, ait ſe ipſa hora coarctari è duobus, nec ſatis ſcire, quid optaret, an æterna illa, quæ imminebant præmia, an diuturniores in hac expeditione Chriſtiana labores. Inciderat eius ægritudo in tertium diem Maij, quo die Doctor LeoNeophytus, qui iam quotidianis valetudinis incrementis ægritudinem depellebat, medicum, quo vtebatur, ad eum miſit. Cuius cum pharmaca iam dies aliquot nihil prodeſſent, ſocij ſex alios, tota vrbe celeberrimos conuocarunt, à quibus cum in eandem ſententiam non iretur, relicta ſunt tria pharmacorum genera, dubijs ſocijs, quòd è tribus eligerent. Ex quo audita eſt Patris ægritudo, diu noctuque Neophytis tota domus replebatur; ſed quò maximè tempore à ſex medicis ægri ſalus in controuerſiam vocabatur, frequentiſſimi fuêre. qui cum viderent non ita procliuem pharmacorum electionem in tanta primariorum medicorum æqualitate videri, tri-

nam illam pharmacorum præſcriptionem coram crucifixo ſtatuerunt, nixique genibus rogarunt, vt ab eo docerentur, quam ægro vellet eſſe ſalutarem; qua in oratione mirum erat quo ſenſu nonnulli rogarent Dominum, vt ſibi quos annos vellet adimeret, ad communis parentis vitam prorogandam. Denique è pharmacis vnũ illi, ſed nullo fructu, datum eſt: quæ res mœrorem omnibus, vni ægro ſolatium adferre videbatur; velut nunc aſſecuto, ut ad laborum metam deueniret. Itaque rara ſemper in eo fuit hilaritas, & quæ ſociorum, ac Neophytorum non parum mærorem leniebat. Sexto ægritudinis die, de vniuerſa prope vita confeſſus, ſocium, qui audierat, tanta ſpiritus alacritate perfudit, nullam vt aliam in vniuerſa vita maiorem ſe ſenſiſſe prædicaret; tanta fuerat Patris innocentia, ſpiritusque ſuauitate delibutus. Die inſequenti Matutinis horis ad ſacrum viaticum ſumendum ſe comparauit: ac tametſi eum vehemens ægritudo ita afflixerat, vt lecto dimoueri non ſine periculo poſſe videretur; vbi tamen audijt bonus Pater, adeſſe Dominum ac Seruatorem ſuum, vires collegit, ac ſolus, nullius adminiculo, lectulo egreſſus, in genua ſe coniecit. Inde inter recitandam ſolemnis confeſſionis precationem, & inter colloquendum cum ipſo Domino, ſuauiſſimè tanto fletu perfuſus eſt, vt præſentes, quotquot aderant, Neophytos ac dome-

domeſticos eodem pietatis rore conſpergeret; qui in deuotiſſimas lacrymas deplueret. Eo ipſo die pomeridianis horis, vi morbi delirauit, ſed hæc ipſa deliria ex abundantia cordis, vt ita loquar, egreſſa, facilè prodebant, quid ſecum ipſe tractaret animo. Nam totum vnum diem ac noctem ſæpe de Neophytis, de Templo, de Sinarum ad fidem, atque adeo ipſius Regis, conuerſione loquebatur. Cum die inſequenti ad ſe planè redijſſet, inungi voluit; integriſque etiamnum ſenſibus aduertens omnia, Eccleſiaſticis orationibus ipſe reſpondit. Inde quatuor, qui aderant, ſocij ab eo velut à morituro parente, vt bene ſibi precaretur, poſtularunt. quibus ille annuens, priuatas etiam ſingulis addidit ad virtutem cohortationes: & quidem alteri è fratribus, ſe illi apud Dominum oppetendam in ſocietate Ieſu mortem impetraturum eſſe, recepit; ideo quod nihil tum occurreret melius atque iucundius, quam quod ipſe eo ipſo tempore ſentiebat. Quæſiuit vnus è Patribus, aduerteret ne tunc ſatis, quo in loco ſocios ſua ope tantopere indigentes relinqueret. Relinquo vos, ait ille, in oſtio ad magna merita patefacto; ſed non ſine multis vel periculis vel laboribus. Rogauit alius, vti ediceret, in ea potiſſimum hora, qua ratione amorem illum ſumma poſſent remunerari. Reſpondit, ea beneuolentia, quam venturis ex Europa

Patribus ſemper oſtendetis: quos, quoniam ſpreta Collegiorum ſocietatis Charitate, in hæc gentilitatis deſerta commigrant, non eſt ſatis, vulgari excipere humanitate; ſed eum amorem toties à vobis duplicari decet, vt quem ibi in vniuerſis inueniunt, hic in ſingulis inueniant. Quo animorũ zelo arderet, ſatis oſtendit, quod intermortuis propè vocibus ab eo eſt auditum: Ego P. Cottonium, qui apud Regem Galliç eſt in Domino plurimo amo. Ad eum, tametſi ignotum, pro eo, quod Dei gloriam promouit, hoc anno ſcribere, & gratulari ſtatueram, eumque priuatim de noſtræ miſſionis ſtatu reddere certiorem. peto igitur, vt, quoniam nunc mihi hoc omnino non licebit, me apud eum excuſetis; quod ſi non eſt factum ab eo, cui hoc Pater commendauit; his nunc relatis, ſupremam boni Parentis noſtri, pro expleta haberi cupimus voluntatem. Sic ferè ſuauiſſimè modo cum noſtris, modo cum Neophytis collocutus, ad vndecimam Maij diem peruenit. Qua die ſub veſperum in medio lectuli conſidens, animam ſine vllo motu, aut corporis contorſione Deo reddidit, & oculos velut ſopori permittens, ac per ſe ipſe claudens, in Domino ſuauiſſimê obdormiuit.

Quo tempore Pater expirarat, ſolito frequentiores domi aderant Neophyti, à quibus orta ſubito tanta eſt comploratio, vt eam à ſocijs

cohiberi neceſſe fuerit, aſſerentibus, iuſtorum tranſitum haud paulò aliter, quam reliquorum, cohoneſtandum: nam verendum erat, ne immoderatior luctus de noſtræ fidei veritate, deq; Patris gloria nonnihil detrahere videretur. Ergo ab inerte luctu in laudem verſi, heroicas Patris virtutes pro ſe quisque prædicabat; eum virum ſanctum, Sinarumque Apoſtolum compellantes. Inde importunis precibus extorſere ab altero è fratribus, qui pingendi artem vtcumque callebat, vt viri effigiem ad commune ſolatium exprimeret. Solent Sinæ vita functorum cadauera ligneis arcis includere, nulli corruptioni, quoad licet, obnoxijs; ea in re nulli ſumptui parcentes; quem ſumptum neque noſtra tenuitas, neque Religioſa parſimonia patiebatur. Sed tamen noluit Dominus ſeruum ſuum, quem ornandum, non in cælo ſolum, ſed in terra quoque tantopere, vt videbimus anno inſequente, volebat, hac etiam celebritate funeris priuari. Vbi enim Doctor Leo cognouit, optimum Parentem ſibi ereptum, miſit (nondum enim per ægritudinem ipſe poterat) domum noſtram, qui ſolarentur Noſtros, iuberentque de feretro nihil laborare; hoc ſe omnino ei curaturum, à quo intra paucos dies bis vitam accepiſſet; neque verendum, ſi qua eſſet mora, ne Patris cadauer grauem de ſe odorem expiraret; in talis enim viri cadauere ſolitas naturæ leges non ſer-

uari. Et reuera ita accidit; nam biduo toto, & amplius, in ſummo æſtu, inhumatus vultu ſemper viuido, orisque totius colore ſpiranti ſimilior, quàm defuncto, vitam, qua iam viuebat beatior, præferebat. Cadauer itaque arcæ incluſum, in ædem ſacram delatum eſt, ibique funebri miſſa, defunctorumque officio, optimo Parenti ab ſocijs ac Neophytis, Eccleſiaſtico ritu parentatum. Inde feretrum Sinenſi ex more in aulam domeſticam delatum, aræque impoſitũ, & amicorum viſitationi expoſitum eſt. Nefas enim eſt Sinis, quemquam intra vrbium muros terræ mandare: atque ideo, dum ſuburbanum agrum coëmunt, aut funus parant, cadauera arcis ligneis includunt, & arcas ipſas ſuo illo pellucido bitumine ita illinunt, vt in annos plures, cadauera ſine graui odore poſſint aſſeruari.

Sanè annis ſuperioribus mortis memor, deq; ſepulcro ſolicitus bonus Pater agrum coëmerat ſuburbanum, ſed interim dum pretium appenditur, orta neſcio qua controuerſia, venditor reſilijt. Tum Pater ad ſocios conuerſus, ait: Nihil admodum refert, nam breui alium, eumque meliorem ſepulturæ locum poſſidebimus. quibus verbis viſus eſt id, quod poſtea contigit, præſenſiſſe; nam ei ſepultura ab Rege ac reliquis ſocijs eſt attributa. Nec hoc ſolum, ſed illud ipſum obitus ſui tempus viſus eſt prænouiſſe. Nam illis ipſis menſibus hiſtoriam à R. P.

veſtra illi demandatam de vniuerſa re Chriſtiana apud Sinas, ad ea vſque tempora perduxit, litteras omnes exuſſit, ſcripta ſua compoſuit, & duabus ſchedulis, altera rem domeſticā, altera vniuerſam miſſionem concinnauit. Ea porro ſchedula, quæ de vniuerſa miſſione agebat, ita inſcripta erat, P. Nicolao Longobardo Sinicæ miſſionis ſuperiori; & infra, Matthæi Ricij, quondam eiuſdem miſſionis ſuperioris: ita certam habebat bonus Pater velocem ſui tabernaculi depoſitionem. Porro hæc ægritudinis tempore perfici minimè potuerunt; nam è priore cubiculo mox, vbi in morbum incidit, in aliud, hoſpitum viſitationi accommodatius, migrauit; ſociosque monuit, vti ſcriniolum ſuum, poſtquam diem clauſiſſet, aperirent, eamque ſchedulam aperirent, quæ ad eos attinebat, alteram ad P. Nicolaum Longobardum deſtinarent.

Vbi auditum eſt ab amicis Magiſtratibus, Patrem obijſſe, maximi ad eum de more complorandum virorum grauiſſimorum facti ſunt concurſus; tanto doloris ſenſu, tum vt maximè patuerit, quantam de Patre opinionem concepiſſent. Omnium erant hæ voces; O virum ſanctum! O virum verè ſanctum! eæque non ſicte lacrymis interruptæ. Non ſe tenuit intra vrbem luctus; nam & reliquis in ſedibus ab ſocijs, Neophytis, Amicis iuſta perſoluta ſunt. Nanquinenſes ſeſe Neophyti ſupra ceteros

extulere: nam Pequinum ad Patris tumulum funebria dona ſubmiſere, cum inſigni laudum ipſius præconio. Huius æmulatione ſtimulati Pequinenſes, alterum adiunxerunt, quæ ad vtrumque aræ latus appenſa, à viſitatoribus amicis magna comprobatione legebatur.

Multa mihi nunc de viri virtute dicenda ſupereſſent: ſed quia paucis multa dicere, res ipſas deterere eſt, hiſtoriam Sinicæ expeditionis appello, quæ prope vniuerſa Patris Matthæi Ricij vita inſcribi poſſet: ita præ reliquis vnus ſibi propè omnia vendicauit. Verum hoc tanti viri funus claudam ea ratiocinatione, cum qua ipſe prope diem clauſit. Nam ſæpe paucis ante obitum menſibus hæc ſocijs audientibus repetebat: Cogitanti mihi ſæpe numero, qua potiſſimum ratione rem apud Sinas Chriſtianam liceret promouere, nihil efficacius mihi occurrit, quam ſi ego diem obiero. Cumque ſocij renuerent, aſſerentes, ad eam ipſam rem vitam eius adhuc in multos annos neceſſariam videri: ipſe contra inſtare, & multis id rationibus confirmare nitebatur. Et ſanè ſi, quæ eius obitum conſecuta ſunt, cum prioribus temporibus conferamus, rem ipſam attigiſſe dicendus eſt. Nec mirum, plus eum perfeciſſe ex eo loco, in quo plus & velit & poſſit. Verùm tandẽ aliquando, plura prætermittentes, ad reliquarum ſedium res geſtas conuertamur.

Reſi-

Reſidentia Nanquinenſis.

Hoc anno toto in hac ſede ſacerdos vnus cum duobus fratribus rem Chriſtianam procurauit. Data ſunt initia gemino Deiparæ ſodalitio: alterum eſt litteratorum, qui domi noſtræ conuenirent; alterum plebeiorum, qui domi ſuæ, vbi magis eſſet commodum, ſemper tamen è noſtris aliquo rem vniuerſam moderante. Id cur ita factum ſit, procliue eſt illi intelligere, qui norit, cætus omnes, ipſumque ſodalitij nomen apud Sinas ſuſpectum eſſe atque odioſum, potiſſimum ſi ê vulgo confletur. Quare vt res haberet minus periculi, commodius erat in priuatis ædibus, quam apud exteros tales iterare conuentus: potiſſimùm cum Eccleſiaſticæ celebritates ſuos in ædem ſacram cogant cætus, quos augeri omnino non decebat. Id non ideo factum eſt, quod Eccleſia Nanquinenſis aliquã patiatur perturbationem; alta enim complures iam annos pace fruitur: ſed ne quid turbarum imprudentes moueremus. Deprehenſum quoque eſt hac ratione, ſodalitij fructum latius patere, dum vniuerſam familiam attingit, & nunc hos, nũc illos in loci mutatione vicinos, ad quærendum, approbandum, incitandumque permouemus. Vtrumque ſodalitium ſemel quot menſibus cogitur, quo tempore, præter orationem, mutua collocutione, quæſitiſque ac reſponſis,

ſponſis, quæ ad animorum ſalutem, vitæque Chriſtianæ perfectionem ſpectant informantur. Suas habet vtrumque conſtitutiones ac regulas: in quibus condendis ita Neophytorum ingenijs conſultum eſt, vt potiſſima ſacramentorum frequentationis ratio haberetur. nec nullo fructu; nam hoc ipſi inſtitutum auidè arripientes, ſolemnioribus celebritatibus, ac præſertim in pio illo maioris Hebdomadæ luctu Europæos concurſus, pro modulo, puſillus grex imitabatur. Nec in his ſtetit fructus; nam præter reliqua pietatis exercitia, maximè ſeſe Parthenij illi ſodales probarunt adiungendis Chriſtiano gregi Neophytis. qua in re Sinæ non induſtriam ſolùm, ſed & propenſionem habent ſingularem; nam fere è Neophytis repente fiunt veritatis auditæ præcones; ab ijs enim diffamatur, vt ait Apoſtolus, ſermo Domini, ita vt non ſit nobis neceſſe, quicquam loqui. Ex ijs vnus cum infantulum propinquum ſuum morti vicinum videret, neque impetraret ab ethnico parente, vti eum ſacro fonte ſineret ablui, domũ noſtram extemplo venit, ſciſcitaturus, ecqua infanti ſupereſſet ad ſalutem via. Edoctus, imbutum aqua ſudarium in moribundum, ritè pronunciatis ſacræ formulæ verbis, expreſſit; idque tanta diſſimulatione, vt Parens minimè aduerteret. quam rem cum faceret narrabat poſtea ſe inſolito quodam gaudio perfuſum animo exultaſſe:

taſſe: diceres de infantuli felicitate radium aliquem ad beneficij auctorem, Deo volente, dimanaſſe.

Alterius quoque ſodalis Neophyti feruor cum inſigni fuſe enituit, isque Diuinæ potentiæ calculo confirmatus. Audijt fortaſſe vicinum ſuum querentem de filia, quàm importunus humani generis hoſtis miſerum in modum diuexabat. Nam ſæpe profani ſimulacrorum ſacerdotis os habitumque mentitus, ſæpe iuuenis procacis vultum, ſæpe mercatorem, aut anum indutus, ſub omni puellam figura vehementer ad turpiſſima quæque prouocabat. Quin etiam ipſos puellæ Parentes, aliosque vicinos vrgebat, vti ad ſe placandum, ab vberibus amotos infantes, ſibi mactatos ſacrificarent: ac tametſi nihil horum, quæ perficere conabatur, impetrabat, erat tamen toti viciniæ permoleſtus. Neophytus ad hæc nihil dubius accurrit, ſuadetque, vti ne profanis ſacris, id eſt ſuis dæmonem artibus pellere vltra tentarent; quod diu fecerant, & impensè. Non arduum fuit perſuadere iam pertęſis tot moleſtias. Deinde docuit eos vnum eſſe cæli terręq; Dominũ, cui vt cętera omnia, ita etiã ipſa Dęmoniorũ monſtra parere cogantur; eius Numinis colendi rationem apud exteros ſacerdotes ſe iam didiciſſe; ſpondere ſe, ſi eorum conſilia audierint, à Dæmonum moleſtijs puellam vniuerſamq; familiam ac viciniam liberatũ iri.

Venit iam cupidus cum Neophyto puellæ parens, admiſſusque eſt volens ad venerandam Chriſti ſeruatoris effigiem: cuius etiam doctrinæ compendium cum ſacratiſſimi Nominis Ieſu imagine impetrauit. Eam imaginem, eiectis ſimulacrorum monſtris, eodem loco ſubſtituit; ſimulque curauit, vt quam primum puella, vniuerſaque familia ſacræ Doctrinæ compendium memoriæ commendaret. Res mira, ex eo ipſo tempore nunquam impoſterum auſus eſt Dæmon propius ad puellam accedere, vel domum ingredi; ſed ex atrio minax terrere conabatur, iam diuino auxilio confirmatos. Verùm vbi iam ſacris imbuti myſterijs ſacri fontis ſuſcepere lauacrum, in perpetuum ablegatus Dæmon aufugit, ipſaque cum parentibus puella conuocat vicinas ſuas, & ait, Congratulamini mihi, &c. & quibus poteſt, vti Diuinam in ſua liberatione manum agnoſcant, hactenus perſuadet.

Neophyti duo quemdam amicum ſuum eo perduxerant, vt auditis Catechiſmi concionibus, iam ſibi perſuaderet, vni Deo cultum exhibendum. Itaque infenſus Idolis, domum redit, Neophytis, quos dixi, ne quo fortaſſe metu tener adhuc in Fide animus moueretur, comitantibus. Iiſdem & ſocijs & auctoribus aggreditur heroicum facinus, quodque ad Diuinæ legis auctoritatem non parum valuit: nam deturbatos è ſolio maieſtatis Penates ſuos in medium vicũ

læſæ maieſtatis reos producit: ibique tota inſpectante vicinia, in extructam coniectos pyram, Vulcano ſacrificat: Accurrit extemplò vxor, magniſque muliebri more eiulatibus penates ſuos deplorat, à quibus per tot annos ſuas aſſerebat ædes abſque infortunio conſeruatas. Viſa quoque res eſt toti viciniæ non ferenda. Itaque in Neophytos auctores ipſumque Catechumenum multis inuehebantur, donec euocatus ad tumultum è Fratribus noſtris vnus accurrit, eoque ſedato, cæpit efficaciſſimis rationibus heroicum factum collaudare; inaniumque Deorum nomina, non Numina, nec metuenda eſſe nec colenda, docere. Vxor, priùs querula, altiùs cæteris in animum admiſit omnia: nam ex eo tempore mariti exemplum ſecuta, religionis ardorem à fabulis ad veritatem tranſtulit. Ipſi verò vicini mitiores quidem redditi, ſed nimis creduli, Deorum iras vindices aduerſus incendiarios præſtolabantur. Sed omnino contra cecidit. nam hactenus omnes eorum domeſticæ res ſolito feliciore curſu fluunt; ſtupentibus Ethnicis, qui ſenſim ſuorum Numinum inanitatem vel inuiti confitentur. Non deerant huius generis exempla quam plurima, ſed ab ijs abſtineo, ne ſimilitudo rerum pariat legenti faſtidium. Memini dicere me ſuprà, Miſſionis huius fructum non è ſolo Neophytorum numero metiendum, ſed longè magis ex ipſa Magnatum familia-

miliaritate,quæ legis noſtræ ſanctitatem in intima Primorum palatia magno fructu ſemper admittit. Prius illud in hac ſede tametſi non fuit pænitendum, (nam hoc anno Tyrones ſupra centum ad veteranos acceſſere) poſterius tamẽ ſupra ſpem enituit: nam & Magiſtratus totius aulæ grauiſſimi amicitiam noſtram expetiere; & ex ijs vnus Chriſto adiunctus eſt, iactaque ſunt rerum maximarum, quæ anno ſequente confectæ ſunt, hoc tempore fundamenta. Hæc nunc dicere aggredior.

Doctor Leo, quem in Pequinenſi Domicilio à P. Matthæo Ricio dixi Chriſto adiunctum, hoc eodem anno, recuperata valetudine, ad maiorem in hac aula Nanquinenſi euectus eſt dignitatem. Qua inita, mox ad ædem noſtram ſacram venit, multis commemorans collata ſibi, ope P. Matthæi Ricij, bonæ memoriæ, à Deo beneficia; à quo animi ſimul & corporis ſalutem accepiſſet: ac tametſi eum Dominus nolentem ad nuptias vi morbi compuliſſet, intrare, nihil ſe tamen minus ratum habere, quod fecerat, quam ſi viribus integris id feciſſet: velle ſe rem Chriſtianam pro viribus, quam diu in hac aula degeret, promouere. Nec minus fecit, quam promiſerat. nam præterquam quod tenuitati noſtræ ſæpe quam liberatiſſimè ſubuenit, importunis prope perſuaſionibus effecit, vti

Pater

Pater ad ædem ſacram extruendam, à qua eum rei familiaris anguſtiæ deterrebant, animum applicaret. Adeoque intra primum ſuæ ad Chriſtum conuerſionis annum templa duo, in vtraque Imperij Sinenſis regia, erigi curauit, ipſeque primus, & præ reliquis, vtrumque opus, pro virili parte, promouit. Altero verò anno ſedem nobis nouam in Nobiliſſimo Emporio deſignauit. Sed hæc fuſiùs pertractanda, in annum inſequentem, quo contigêre, reſeruantur; attingere tamen hîc viſum eſt, quod hoc tempore fuerint quaſi delineata.

Eiuſdem etiam maximè Leonis operâ grauiſſimus Magiſtratuum ordo, quem Sinæ Tauli vocant, domum noſtram frequentare cæpit. Hic ordo tametſi non parum difficilis eſt in admittendis ad colloquium amicis, in nobis tamen de ſuo rigore tantum remiſit, vt quatuor è Primarijs illius tribunalis, prope quotidie domum noſtram ventitarent: idque faciebant, tanta humanitate, vt inferiores ſæpe id Magiſtratus admirarentur. In hac præcipuè Magiſtratuum familiaritate huius Eccleſiæ quies ſita eſt, vt ea, quam de legis Diuinæ præconibus concipiunt, opinio in ipſam legem tranſeat; ideoque ad eam aſpiramus, & in his commemoramus annalibus, quod magna pars annui fructus in hac ponenda ſit, ab æquis rerum æſtimatoribus.

Duo

Duo potiſſimum hanc legi noſtræ in hoc regno conciliant auctoritatem: alterum eſt opinio virtutis, quam Sinæ acutiſſimè internoſcunt, & altiſſimè ſuſpiciunt; alterum, quod hac Magiſtratuum conſuetudine nunquam ad quæſtum, Sinenſi de more, abutamur. Hæ, inquam, duæ res palatia nobis Primatum Sinenſium aperiunt. Et, vt hoc obiter dicam, tametſi ſcientiarũ Europæarum fama prima ferè ſit eorum eſca, qui noſtrorum familiaritatem expetunt; tamen vbi cum noſtris agere cæperunt, vltrò à litterarum ad virtutis æſtimationem tranſeunt. Quod facile eſt ab Ethnicis notari, tametſi virtus ſit exigua. Nam cum ipſi ſolam virtutis vmbram in externa ſpecie gerant, quid mirum quẽlibet virtutis radium ea in vmbra elucere atque conſpici. Itaque animaduerſum eſt à noſtris Pequini, cum ad P. Matthæi Ricij de more gentis complorandi, cadauer vniuerſa pro pe Magiſtratuum vrbis Regiæ maieſtas conueniret, ne vnũ eſſe inuentum, qui diceret: inſignis erat aut Mathematicus, aut Philoſophus: ſed in vna omnes prædicanda viri ſanctitate conſtitiſſe; tametſi ita his eos ſcientiarum irritamentis ipſe allexerat, vt quibuſdam etiam è Noſtris nimius in hoc genere fuiſſe videretur. Sed apoſtolico viro, huiusque Miſſionis primo prope parenti, multam Dominus lucem aſpirabat, qua intelligeret, hanc eſſe ad Sinas ſibi adiungendos conſilij ſui ratio-

rationem: qui enim ab hac Eccleſia Ethica, Phyſica, Mathematica planè remouenda credit, non ſatis intelligit Sinenſium ingeniorum faſtidium, quæ ſalutaria pharmaca, nonniſi his illita condimentis, admittant. Admonet me hic locus, vt referam, quod in hac, vt arbitror, ſede à viro grauiſſimo vni è Noſtris dictum eſt inter colloquendum. Annos complures, ait ille, cum ſocijs agere cæpi, nec vllum eſt domicilium veſtrum, in quo non obſeruauerim duo, quæ commemorabo. Alterum eſt, ad quæſita omnia, quæ à vobis exquirimus, vnam eſſe ſociorum omnium vbique reſponſionem: vnde colligo vera eſſe, quæ dicitis. Alterum eſt, quod nullum vnquam inierim cum vllo è ſocijs colloquium, in quo non de Deo ſuo, deque ſua lege opportunè importunè ſermonē intulerint: vnde conijcio, Deo ſuo plenos eſſe, eiusque legem velle votis omnibus propagare. Hæc ideo commemoro, vt intelligant Europæi, quam bene collocetur hic omnis labor in talibus ingenijs pertractandis, & quam meſſem promittat ita ferax ager, intra incultam ipſius naturæ vaſtitatem.

Hanc quoque Magiſtratuum familiaritatem mirè auxit Pauli noſtri, qui eſt huius Eccleſiæ verè primipilus; in hanc Regiam aduentus. Nam cum expleto Parentis ſui funere, in aulam Pequinenſem, ad munus ſuum, quod ibi gerit, ampliſſimum reuerteretur. Ex itinere, Nanquini

Noſtros interuiſit, ædesque noſtras Maximorũ Magiſtratuum Palatijs, ad quæ ſumma contentione inuitabatur, præpoſuit; neque adduci ſe unquam paſſus eſt,vt in alias migraret, aut conuiuia magnatuum admitteret. aiebat enim, ſe amplius noſtra conſuetudine, frugalique mēſa delectari, quàm ſplendidis Magiſtratuum Nanquinenſium conuiuijs. Id etiam faciebat eo conſilio, (mirum enim,quam ſit ſagax ad rem Chriſtianam ſine periculo promouendam) vt omnes Magiſtratus,à quibus erat de more viſitandus,domum noſtram conuocaret. Itaque in omni congreſſu res noſtras, legisque noſtræ ſanctitatem mira dexteritate ingerebat; qua ex re non exigua rei Chriſtianæ adiumenta dimanarunt. Vnum ſeligam; quia inſignius: multum promouiſſe eum viri grauiſſimi conuerſionem,quam nunc ingredior.

In hac regia gerebat ampliſſimum Magiſtratum vir grauiſſimus,Hiu cognomento,eratque vnus è quatuor primis huius aulæ capitibus; cuius munus apud Sinas Tumchimſu dicitur) & in Europa non admodum diſcrepat à Cancellarij ſupremi munere. Ad eum libelli omnes, quotquot ad Regem Nanquino deſtinantur,perueniunt. quos ſi tranſmiſerit, ad Regem penetrabunt; ſi retinuerit, tradi omnino Regi non poterunt. Id ideo fit,ne Parergarum multitudine obruatur. Præterea vniuerſa aulæ

negotia

negotia ipſe quoque attingit. Is itaque iam dudum noſtris vtebatur familiariter; non hic ſolùm, ſed etiam in aula Pequinenſi, in qua etiam grauiſſimos geſſerat Magiſtratus. Sed hac noſtrorum familiaritate, nihil diu ſpei dederat, probatum iri ſibi noſtræ fidei dogmata: quin potius ijs ſe non parum fuiſſe infenſum; poſtea non ſemel faſſus eſt. Nam cum perditè deditus eſſet longioris vitæ, & alchimiæ præceptis inquirendis, non poterant ei noſtræ fidei dogmata, quæ & vitam hanc, & opes ſpernendas docent, non ſummopere diſplicere. Itaque infenſiore erat in P. Ricium animo, quod nuper libellum edidiſſet in quo paradoxa nonnulla de vitæ breuitate, de expetenda morte, deque ſpernendis opibus, & huius vitæ oblectamentis efficaciſſimis rationibus confirmabat. Eodem prope animo iam Catechiſmi ab eodem editum volumen euoluerat; in quo ei alia multa diſplicebant; ſed maximè id, quod acriùs, vt ipſi videbatur, Idolorum cultum impugnaret. Verùm enim verò Deus eum ſibi & Eccleſiæ ſuæ deſignarat. nam tametſi hoc erat in legem Diuinam animo, tamē à Noſtrorũ conſuetudine, qua alijs ex cauſis delectabatur, nullo vnquã tempore abſtinuit. Et Nanquini quidē cum eã ſtudioſiùs coleret, tentare hominē cæpit Pater, qui huic ſedi pręeſt, qua re potiſſimũ delectaretur; ratus, eũ ſibi prius arctè deuinciēdũ, quàm ea ingeret, à quibus tãtopere abhorrebat. Vix aliàs clariùs patuit,

quantum ad rei Chriſtianæ incrementum valeat apud Sinarum primores Mathematicarum diſciplinarum irritamentum. His vbi eum Noſter vidit oblectari, ſphæram, globumque coſmographicum dedit; adiectis breuibus ac dilucidis, Sinenſi lingua, explanationibus: quas ei ſubinde, cupidiſſimo auditori, prælegebat. Adiecit & topographicam totius vniuerſi delineationem, geometricasque turrium, & huiusmodi rerum, dimenſiones. His cum eum ſibi mirum in modum conciliaſſet, diſſimulato ſemper eo, in quem maxime collimabat, ſcopo, demum vbi iam ſatis delinitus videbatur, aggredi eum cæpit in hunc modum. Dicentem fortè fortunâ inter colloquendum audierat: mirari ſe Patrem, hominem externum, cui nunquam antehac notus fuiſſet, tanto ſe amore proſequi, vt tam inſignia docuerit, nullo præmio, nullâ impoſterum ſpe. Sunt enim Sinæ inter omnes huius orientis nationes prope ſoli beneficiorum non immemores, & grati. Tum Pater exiguum hoc eſſe ait præ eo quod in votis habebat; quid enim prodeſt ſiderum curſum contemplari, ipſum negligere ſiderum conditorem? Rogare ſe igitur pro amicitia etiam atque etiam vt quam propenſionem in ediſcendis ijs, quæ minoris erant momenti, præ ſe tulerat, eandem ad animi ſalutem procurandam adferre ne grauaretur; confidere ſe fore vt oblectamenti nihil minus,

vtilita-

vtilitatis certè plus aliquando inde eſſet relaturus. Generoſum animum pupugit noua promiſſio, cui annuens ſpopondit ſe facturum quod tam amicè rogaretur; nec defuit Patris votis, quatuor enim quos in eius gratiam ſcripſerat dilucidè ac breuiter, de Deo, de anima, immortali, deque peccati lue in omnes origine naturæ tranſmiſſa, ac denique de Chriſto homine, commentarios attentè magnóque fructu euoluit: Id eo conſilio fecerat Pater vt congreſſuum cum homine occupatiſſimo breuitatem vtili lectione resarciret; Et verò eo ſunt ingenio Sinæ, vt ſcriptis faciliùs quàm diſputabundis congreſſibus conuincantur. Auctore quoque eodem Patre, quem priùs cum faſtidio legerat P. Matthæi Ricij Catechiſmum legendo repetijt; Et quoniam eum iam alio legebat animo depulſa nauſea ſenſit ſuauitatem veritatis. Iam igitur nihil dubitabat vnam eſſe legis noſtræ coniunctam cum ſumma ſanctitate veritatem: ſed humani generis hoſtis ne ſine prælio hæc ſibi præda eriperetur, tribus eum maximè telis impetijt. Quia enim vt dixi, perditè multos annos vitæ longioris & alchimiæ præcepta ita fuerat conſectatus, vt etiam ſcriptis ea de re libris iam è diſcipulo Doctor haberi poſſe videretur; non facilè tot annorum ſtudia, ſumptus, famam, ac ſpes etiam vanas profundendas ſuggerebat. Alterum telum nihilo priore leuius fuit, Solent

Sinæ feſtorum ſuorum vanitate deluſi, faſtos ad omne negotium dies eligere, nefaſtos repudiare, ex ea vna re negotiorum proſperos & aduerſos euentus pendere arbitrati, hanc ille conſuetudinem nimis credulus per omnem vitam tenuerat, quam cum videret ſibi per legem Diuinam impoſterum non licere, ſubuerebatur ne proſperum rerum ſuarum curſum aduerſis nefaſtorum ſiderum curſibus inhiberet. Laborauit non parum pater vt hæc tela veritatis clypeo retunderet, idque non in congreſſibus ſolùm ſed ſcripto etiam, vt lecta veritas altiùs in animum penetraret: Non paucos dies tenuit ea colluctatio, ſed demum euicit vis agnitæ veritatiſque cæleſtibus immiſſa radijs errorum tenebras ſuo ſplendore diſcuſſit. Sub idem tempus accidit aduentus Doctoris Pauli Nanquinum cuius non congreſſu minus quàm exemplo inclinatus iam animus in veritatis partes ruit. Nam die quadam Patri ſcribit ſe iam ſuperatis dubitationum ſuarum nebulis Diuinæ lucis auroram aſpexiſſe, cupere ſibi mitti Chriſti Seruatoris effigiem, quam iam ſuſcipiebat venerandam; ſimul eleemoſynæ nomine argenti pōdus non exiguum dono mittit. Donum remiſit Pater, ne Imaginem vendidiſſe videretur; ipſe deinde cum ea effigie quam petebat mirè lætus ſubſequitur. Initio expoſtulauit de remiſſo munere, ſed vbi cauſas audiuit, non ceſſabat laudare inſtitutũ. Sacram porro Iconem quâ potuit maieſtate

iſtate ſuſcepit, indutus Magiſtratuum quos geſſerat inſignibus. Inde Myſterijs fidei noſtræ nouus Catechumenus audiendis animũ applicuit; verùm interim cum Baptiſmi dies adueniret nouo eum telo Dęmon aggreditur. Impoſtor neſcio quis venditabat ſe auorũ effigies ac nomina ſiquæ forte intercidiſſent, poſſe reſtituere. Solẽt enim Sinæ hæc in familijs ſuis ſtudioſiſſimè cõſeruare. Catechumeno porro noſtro exciderant omnes in ædium ſuarum incendio; nam cum Iaponij piratæ eam in partem in qua eſt eius natale ſolum populabundi irrupiſſent, auorum effigies & libros quibus eorum nomina continebantur amiſerat; magnum erat hoc telum ad eum antiquis ſuperſtitionum impoſturis inuoluendum; Et quidem initio ſpecie pietatis deluſus, impoſtorem ad ſe ad dictam diem vocauerat: verùm cum attentiùs rem inſpexiſſet, ſubdubitare cæpit, ne quid ea re contra legis Diuinę quam ſuſcipiebat iura peccaret, ergo Patrem ſcripto conſulit, à quo edoctus impoſtorem illum ſi quod ſe facturũ ſpondebat reuera præſtaret, eum Dæmonis malis artibus id facturũ, quod eſſet illicitum; at ſi Dęmonis artes minimè interuenirent, quod ſpondebat minimè præſtiturum, quod eſſet vanum. Hoc dilemmate conuictus, nuntium impoſtori remiſit, neque eum ad congreſſum amplius admiſit. Itaque iam diuino fauore victor, domum noſtram magno Curialium ſuorum comitatu ad eluendas ſacro fonte

veteris vitæ maculas aduenit, & ſacro Ioannis nomine in Baptiſmo eſt appellatus, atque hic omnino eſt Magiſtratuum, qui non pauci nomini Chriſto hactenus dedere, ſummus, ſi quis enim fortaſſe dignitate ſuperior eſt, eam dignitatem poſt Chriſtiana ſacra ſuſcepta fuit conſecutus. Cum domum ſeſe Pater recepiſſet nouus tyro remiſſum argenti pondus cum alijs pretioſis muneribus ad Patrem denuo miſit, ſed remiſſum etiam nunc fuit, nullum enim ſub Baptiſmum munus à Neophytis accipimus ijs ex cauſis, quibus initio dixi nos permoueri, ne ſolemnem Magiſtri electionem ex more Sinenſi admittamus, quas cauſas vbi audiuit multò etiam magis quàm prius admiratus, apud omnes hoc noſtrum inſtitutum prædicabat; ne tamen accepto beneficio ingratus videretur, ipſe domum noſtram magno apparatu venit gratiam habiturus. Paucos dies tenuit commune gaudium nam parens iam decrepita ſub id tempus diem ſuum obijſſe nunciatur: quamobrem depoſito ex more Magiſtratu domum ad funus procurandum trienn emque luctum repetebat; abeuntem proſecutus eſt Pater, vt in itinere de Parentis ſuæ funere, quæ in ſuis gentilium erroribus interierat, ita procurando eum moneret vt nihil contra leg s Chriſtianæ ſcita peccaret: medium diem ea collocutio tenuit, & vlterius perrexiſſet Pater niſi ab eo prohibitus eſſet. Cum igitur in digreſ-

ſu mo-

ſu moneret eum Pater vti præceptorum Diuinorum memor ad eorum normam ſua omnia dirigeret, reſpondit; atqui vt videas quàm tenaciter animo inhæreant, ſcire te volo Pater, me ex faſtorum Sinenſium præſcripto hodiernodie iter ſuſcipere prohiberi. Sed hunc ipſum diem ſtudio elegi, vt ægrè illi faciam qui me per tot annos tam fœdè deluſit. Mirè lætus hoc reſponſo Pater domum repetijt, ipſe iter ſuum eſt proſecutus; quo exacto amoris plenas litteras exarauit, beneficijs gratiam referens, rogabat vt ad ſe in ſuſcepta fide confirmandum è ſocijs vnus aliquis quàm minimo fieri poſſet incommodo mitteretur; quod vt fieret eſt deinde procuratum. Porro cum abijt Ioannes Noſter remiſſum bis argenti pondus apud Leonem, inſcio Patre depoſuit; vt cum ædes ſacra, quam Pater cum eodem Leone meditabatur, aſſurgere cæpiſſet ad ædificij ſumptus Patri in manus traderet; nec hoc ſolum fecit, ſed inde ab domo patria opportunis ſubſidijs ſua ſponte ædis extructionem ſæpius adiuuabat. Hoc Neophyto tantùm accreuit rei Chriſtianæ dignitatis, ut Deo ingentes ſint gratiæ habendæ, qui his columnis Eccleſiam Sinenſem tam aptè fulcit. Ipſi quoque Neophyti qui norunt quanti ſit res iſta momenti, mirè læti in Domino exultant ſperantque nobiſcum in dies meliora.

Verùm quoniam ad rerum geſtarum huius

domicilij finem propero, non omittendus eſt Neophytorum feruor in ſacra Dominici Natalis nocte celebranda, anno iam tum exeunte. Nam ſub noctem magno numero in ædem ſacram conuenêre, eamque totam in expiandis criminibus, oratione, pijs colloquijs poſuêre; aſſerentes videri ſibi nefas ea nocte ſopori indulgere, quàm ſibi naſcenti Dominus elegiſſet. Subodoratus eſt hunc cœtum Leo noſter, itaque etiam ipſe prima nocte dimiſſis iam curialibus, cum filijs domum noſtram venit, ceteriſque adiunctus omnibus ad pietatem dux & caput fuit, qui mirum in modum tanti viri exemplo permoti Dominicum Natalem quo poterant pietatis ſenſu celebrarunt.

Reſidentia Nanciana.

Hanc vineam excoluêre ſacerdotes duo & fratres noſtri quinque, quanquam ex ijs quatuor ſocietatis noſtræ rudimentis in tyrocinio occupati, ſtudioſius ſe ipſi quàm cæteros excolebant; quo expleto, ſocietatis Noſtræ vota emiſerunt, idque tanto ſpiritalis gaudij ac pietatis ſenſu vt à ſuauiſſimis fletibus minimè ſibi temperarint. Et ſanè Sinenſia ingenia mirè videntur ad omnem pietatem facta, ita hi fratres noſtri vocationis noſtræ ſpiritum imbibunt nihilo vt ab Europæis differre videantur.

Hoc tempore ſacella duo non domeſtica

ſed publica, elegantem in modum Patres concinnarunt; nam aram vtramq; pereleganti, alteram quidam Chriſti ſeruatoris, alteram verò Deimatris, imagine exornarunt. Vtramque pinxerat Europæo opere vnus è fratribus noſtris Iacobus Niua, qui eam artem in Iaponenſi noſtrorum ſeminario, in paucis aſſecutus fuit. Reliquus porro vtriusque ſacelli ornatus is fuit, vt noua omnia, non innouata viderentur. Hæc in celebritatem Dominici Natalis inciderant, quam noctem tot fratrum noſtrorum induſtria in eam euexit maieſtatem, qualem hæc naſcens Eccleſia, fortè aliam ſe non meminit conſpexiſſe maiorem; nihil attinet omnia cōmemorare, quæ vel nota ſunt vel apud Europæas aures tanto erunt expectatione inferiora, quanto maior eſt virilis togæ quam puerilis prætextæ maieſtas; Et tamen ipſos pueros ſua etiam prætexta delectat: Nam Neophyti noſtri cæleſtis gaudij portionem ſibi videbantur prælibare. Nec in his ſtetit admiratio, nam expletis nocturnis diurniſque ſacrificijs, Ethnici magno numero concurrêre, viuam in imaginibus maieſtatem cum reliquo ornatu ad ſtuporem demirati; quæ res ſuſpenſam de noſtrorum aduentu gentem ſenſim inducit vt credat eſſe homines ea virtute præditos, vt ad veritatē euulgandā nihil dubitēt tot adire maris terræq; pericula; nō vt aliquid aduerſum Remp. in gratiam ſuæ gentis moliantur. Id iam mirū in

modum

modum ſpargitur, in vniuerſo Sinarum Imperio, in quo Chriſtiana Religio, lex Dei cæli appellatur. Et quidem, in hac Quiam ſinenſi Prouincia, in cuius metropoli noſtri reſident, res eò peruenit, vt in comædijs ac tragœdijs ſuis exhibeant Chriſtum Dominum qua forma ab ijs in ara noſtra conſpicitur, pro tribunali probis ac reprobis æterna meritorum præmia largientem.

Perſequar nunc breuiter quæ in hoc domicilio illuſtriora contigêre. primùm quæ circa tyrones qui ſua nomina Chriſti Militiæ recens adſcripſere; deinde quæ circa veteranos. Sex ſupra centum tyrones hoc anno inſcripti numerantur. Inter eos nobilis Matrona vxor quondã nunc vidua grauiſſimi Magiſtratus, è cuius familia quatuor Sinici doctores (quod eſt Patriæ nobilitatis culmen) emerſêre; hęc in Diuinæ legis ſermonem incidit cum Neophyto famulo quondã ſuo & ab eo didicit, Idola vana eſſe ſimulacra numinum, vnum eſſe ſupremum numen, cui omnes ſi ſalui eſſe velint, oportet famulari, nihil opus fuit acri eius ingenio, diuina etiam luce perſuſo alio Euangelij pręcone, nam illa etiam ab ore ſeruili profectam non abhorruit veritatem. Rogauit Catechiſtam ſuum vti à Patribus Chriſti ſeruatoris imaginem quam veneraretur impetraret, doctrinæ quoque ſacrę compendium & precatorios globulos expetebat; ipſa porro pro Sinenſium mulierum ſeruitute

ſeſe

ſeſe cum noſtris colloqui multoque minus ſacrum baptiſmi fontem excipere poſſe diffidebat; Ergo quadriennium totum eiectis Idolorum monſtris vni Deo cultum ex Chriſtianis legibus exhibebat: quo exacto cum forte imaginem concinnandam ad artificem foras emiſiſſet, conſpecta eſt à neſcio quo Neophyto noſtro, qui matronam hanc nouerat, ea re mirè lętus eam die inſequenti viſitauit gratulabundus, quod arbitraretur eam Chriſtianis ſacris initiatam: verum illa optare ſe dudum aſſerebat, ſed non ſatis videre quà id ratione integrà famà cõſequeretur. Is Neophytus vt erat prudens, omnes ei difficultatum nodos exoluit: nam aſſeruit nihil opus eſſe vti Catechiſmi cauſa cum Europæis ſacerdotibus colloqueretur: vnum è noſtris fratribus natione Sinam, id officij præſtiturum: video non facile intelligi in quo hæ muliebres vmbrę deliteant. Aduertendum igitur noſtros, quod Sinenſium litteratorum habitu induantur à mulierum colloquijs ex more prohiberi, niſi fortè perraro, & coram marito aut parente, idque tapete intermedio aut porta diuiſos, in profanorum ſacerdotum habitu, quo prius vtebamur, id longe facilius liceret, ſed in hoc habitu à virorum grauium conceſſu excluderemur. Itaque in habitus electione mulieribus viros prætulimus, donec vtrumque nobis æquè per Sinas liceat; quod in dies facilius fore animad-

animaduertimus. Fratres porro noſtri cum cultu inferiore quàm Patres vtantur, non æquè ab huiusmodi colloquijs arcentur; & tamen illi Patrum iuſſu hanc adhibent moderationem vt nunquam ſoli cum ſolis colloquantur; ſed quoad fieri poteſt maritus aut Parens, fraterue aut alius aliquis propinquus maturâ ætate vt adſit procuratur; id ſi fieri omnino non poſſit, tum fratri noſtro adduntur duo tresuè Neophyti grauiores qui congreſſibus de rebus diuinis interſint. Hæc noſtrorum cum mulieribus agendi ratio quæ nunquam intermittitur, ne cū plebeijs quidem quæ ſunt in hoc genere licentioſiores, mirè ab Sinis approbatur, & magnam legi Diuinæ integritatis opinionem parit. In hac ipſa domo contigiſſe memini cum è fratribus noſtris vnus ad imbuendam plebeiam mulierem Catechiſmo perrexiſſet, percunctatum initio adeſſet domi maritus necne, cumque abeſſe audijſſet ſeſe alias rediturum frater noſter reſpondit, Catechumena mulier, quę nondum hunc morem noſtrum inaudiſſet fortiter inſtare vti ingrederetur, cumque renitente fratre noſtro nullum inſtandi finem faceret; ſubintulit vicina eius etiamnum Ethnica, quæ ex limine omnia contemplabatur: quid vltra inſtas, nondum noſti tu quæ legem Dei cæli profiteri vis, eos qui hanc euulgant legem, nunquam ſine teſte mulieres conuenire? quo audito fratrem noſtrum

noſtrum rubore ſuffuſa dimiſit. Sed ad cæptam narrationem reuertamur: Moniti de re tota ab Neophyto Patres, fratrem noſtrum cum duobus grandæuis grauibusque Neophytis ſubmisêre; qui toties eum comitabantur quoties ad eam Chriſtianis rudimentis imbuendam itabat: aſſerebat porro frater ille non illam ſibi viduam videri ab omni commercio ſemotam, ſed litteratum aliquem acri ingenio de fidei noſtræ capitibus diſceptantem: nam illa in ea ſolitudine egregiam indolem Sinenſibus ſtudijs expolierat; & fratrem noſtrum tot quæſtionum nodis premebat, cum de Auguſtiſſimo Trinitatis Myſterio, de verbo incarnato, de anima immortali ageretur, vt cum ille ſe expedire ſatis tuto non poſſet, reſponſum in alium diem differret, dum certiora à Patribus referret. Poſtquam illa iam ſatis inſtructa fidei Myſterijs videbatur, á Patre per internuncium iubetur Baptiſmo ſuo diem deſignare, ſimul ſtatueret quàm minimo ſuo incommodo id perficeretur; reſpondit illa ſe omnia iam ſtatuiſſe, in dictum diem veniret Pater, quo maximo poſſet apparatu; vna cum fratre noſtro geſtatoria vectus ſella & clara iam die, nihil ſe velle clam facere. Dicto tempore noſtri adfuere, ibiq; matronæ illius germanos duos, eiusdēq; nepotē, omnes Ethnicos, præſtolantes reperêre,

hos

hos euocauerat illa totius rei teſtes atque ſpectatores, Nepotem verò accerſierat ut eius manu vultum ſalutari aqua perfuſum ſibi tergiſaceret, & oblatos à Patre precatorios globulos ereamque icunculam & ſimilia pietatis arma ſuſciperet, nefas enim erat ex more Sinico quicquam ab eius manu accipere qui propinquus non ſit. Inuenère etiam in ornata aula erectam aram cum omni ſacro apparatu; quibus ita comparatis domus ianuam & ipſius aulę reſerari iubet compluresque vicinos qui conuenerant ad ſpectandum admiſit. Prius verò quàm ſacrum laticem in verticem admitteret, edocta ſacrum de peccatis dolorem excitare, id prętitit elata voce eoque verborum pondere, vt audientes commoueret. Expleto Baptiſmo Patri gratias fratrique egit, exceptosque ſolemni epulo lętos de rei euentu domum dimiſit.

In pagum vicinum frequens vnus è noſtris itabat ad imbuendas Chriſtianis Myſterijs familias aliquot, eo in pago anus erat iam decrepita ſex annorum ſupra octoginta; quę prius mirè addicta, inanium Deorum cultui, ſodalitio cuidam prę fuerat mulierũ, quę ſeſe peculiari obſequio neſcio cuius Idoli deuouerant. Immiſit vetulę quam ſibi deſignarat Dominus deſiderium, fratrem noſtrum de lege Diuina differentem audiendi, ſed ſępius id conantem filius & ipſe iam ſenex pro ſua in eadem ſimulacra voluntate

luntate interturbabat. Ad extremum cum è noſtris Patribus alter in eum pagum rei Chriſtianę interuiſendæ cauſa deueniſſet; tametſi lecto eam morbus ſenilis afflixerat, erexit ſe tamen, & ad Patrem ſe contulit; à quo cum audiſſet poſſe ſe etiam in hoc ætatis occaſu præteritæ vitæ criminum veniam impetrare (hoc enim maxime dubio pulſabatur) mire exultauit, ceteraque audiuit quæ per tempus & ætatem licuere, ſed ita vt bene concepto ſalutis ſuæ conſilio, priſtinam vitam rite deteſtata, Chriſtiana Myſteria quæ ad ſalutem obtinendam exiguntur probe intellexerit, ergo eluta ſacro fonte biduum ſuperuixit, quo expleto facile intellectum eſt, quorſum ad eam vſque periodum vitam tenuiſſet. Eius funus comitati ex vrbe Neophyti ſuo exemplo filium etiam ipſum in Chriſti gregem impulere. Clarius etiam eſt quod ſequitur Diuinæ prædeſtinationis argumentum. Neophytus quidam Marcus nomine è patrio oppido in Metropolim quam noſtri incolunt reuertebatur. Et ecce iam muris vicinus in Veſpillones incidit qui cadauer quoddam in vulgi tumulos extra vrbem efferebant; his comitibus iter proſequens nihil minus cogitabat quam quod futurum imminebat: nam ecce tibi vox è feretro, qua territi veſpillones abiecto feretro aufugere. Marcus è Chriſtiana diſciplina ſumens animos feretrum depoſito vel diſſimulato metu aperit.

In eo iacebat puella annorum, vt apparebat ferè decem & ſeptem, viua quidem illa, ſed ita vt è vultu mortuam, è voce viuam coniectares. quęrit ex ea Marcus, quænam ſit & vnde? herus, inquit meus, & herum nominauit, quem tu probè noſti, me iam cum morte colluctantem domo pro mortua efferri iuſſit, ne illius in ædibus expirarem (à quo Sinæ non parum abhorrent.) Eũ hominem Marcus olim Chriſtianis myſterijs imbuerat, ſed quia minus videbatur ad Diuinæ legis præcepta ſeruanda comparatus, baptiſmũ minimè impetrabat: Marcus igitur è puella quęrit, velit ne animæ ſuæ ſalutem, corporis ſalute deſperata, in tuto collocare? Ego verò ait illa cũ tu herum meum Diuina lege imbueres, clam è vicino cubiculo omnia audiebam mireque flagrabam eius legis ſuſcipiendæ deſiderio: ſed quoniam ſerua eram domeſticis ſeptis clauſa, fieri nunquam potuit vt facerem quod volebam, Ergo te, ait, Marcus clemens Dominus in hanc horam conſeruauit, vt ne ſine voto morerêre; ſimul eam pro tempore ac loco neceſſarijs ad ſalutem obtinendam fidei noſtræ capitibus erudit, & ſacrâ volentem aquâ perfundit. ac deinde per otium docet qua ratione ſi mors ingruat de peccatis dolere, & ſacra Ieſu ac Mariæ nomina debeat inuocare. Inde ab ea, iam alta nocte, digreſſus, in proximas ædes ſe recepit. ægram

Ethnici

Ethnici (neque enim vllus ibi Neophytus habitabat) in ſuas ædes, omine deterriti admittere noluerunt. vix illuxerat cum ad feretrum redit Marcus; ſed eam, quæ mori non potuerat donec verè viueret, in vitā reperit abijſſe ſempiternam; quis enim aliud de tam inſigni Diuinæ prædeſtinationis argumento poſſit ominari? Marcus verò, quod cæperat charitatis officium peragens, fuſis ad cadauer precibus, terræ demandari curauit, ipſeque lætus ad Patres accurrit, tantæ rei nuncius, qua re Patres non minus attoniti quàm ipſi qui audière Neophyti, Deo grates pro immenſa ſua clementia retulère.

In ſuburbano pago colonus erat diues, cui familia ſæpe vniuerſa ac ipſa etiam pecora, non ſine ingenti ſumptu ac damno ægritudinibus vexabantur; nullum fuit vel in medicis vel in profanis ritibus præſidium, quod ipſe non tentaret, ſed fere nullo fructu; ſub idem tempus, deſponſatam prius filiam Neophyto cuidam, cui nomen eſt Paulus, in vxorem tradiderat, his in nuptijs (nam & ipſa quoque Chriſtianis erat ſacris initiata, ab omni ritu gentilicio eſt temperatum. Itaque vicini omnes, quàm plurima tali coniugio infortunia ominabantur: ſed cum iam laberentur menſes proſperaque

vel filiæ vel genero omnia contigiſſent, ſocer Paulum aggreſſus rogat vti ſibi enunciet, qua ex cauſa à ſolemnibus receptisque gentis more coniugij ritibus ſibi temperandum in animum induxiſſet, qua ſpe Numinum iras nihil pertimuerit, cuius fultus præſidio in eas minime hactenus incurrerit? Tum Paulus profanos ritus, ait, Chriſtiana lex interdicit, docetque hæc ipſa quæ vocatis Numina dæmonia eſſe, quibus nihil in homines amplius poteſtatis, quam quantum à Deo noſtro vno ac vero acceperint. Itáne vero? ait ſocer, quin igitur & ego idem Numen veneror, in eadem tecum ſacra tranſiturus: Paulus vero vt hominem probaret, non poteris inquit Chriſtianam tibi imperare ſanctitatem, qui his & his vitijs legi Diuinæ aduerſantibus infectus ſis, naturaque parum ad virtutem propenſus videare: abijt ille tum ſubtriſtis, ſed tamen cum altè audita in animum admiſiſſet, ita ſecum ipſe ratiocinabatur. Ergóne quod potuit gener meus ego idem à me non potero impetrare? Quare poſtridie ad generum redit: & cum eo meditata expoſtulat ratiocinatione. Tum Paulus age vero vniuerſam dæmoniorum quæ hactenus coluiſti turmam tecum in ædem ſacram defer, ijsque ignem ſubmitte; fecit extemplo quod iubebatur, filiumque, qui ſe à bono propoſito auertebat, conſtanter repulit. Miſeri Dij ad Patres deferuntur & in media Neophytorum turba ad

rogum

rogum damnati incendio periere. Ipſe vero & à genero ſerio monetur ne familiæ ſalutem aliudue humanum quippiam in mutanda religione ſpectaret ſolum eam ad rem ſummo Numini obſequendi adferret voluntatem, eius curæ familiæ curam ſineret qui de ea pro nutu ex maiore ſua gloria diſponeret; admiſit ſocer Pauli, omnia, & iam Catechumenus ſuffectam inanibus dijs Chriſti ſeruatoris effigiem cum vniuerſa familia venerabatur. Interim vero cum ſacræ doctrinæ compendium euoluunt fideique noſtræ myſterijs imbuuntur, tentauit eos Dominus & inuenit eos dignos ſe. nam ad vnum prope omnes cum varijs morbis conflictati ſalutares tamen aquas expetebant. Hic Ethnici omnes qui audierant vindices ambuſtorum numinum iras percrepabant, verum reddita breui familiæ ſalus & vrbanorum Neophytorum qui ægris frequentes ſubuenerant feruor illos Ethnicos fecit Diuini Numinis laudatores; atque ita egregie probati Chriſti Tyrones ſacræ militię nomina vno omnes die decem & octo tradidere.

Alio in pago duo erant Ethnici Pater ac filius, quos in graui ægritudine propinqui omnes deſeruerant; nauſeâ quæ ex ægrorum moleſtationibus prouenit eorum, quæ vulgo exigua eſt, charitatem non parum reſtinguente. Tanto vero magis eluxit Neophytorum feruor, qui ægrorum miſerti non corporis tantum curam, ſed

vel maximè animi in ſe ſuſceperunt. qua inſigni charitatis ſignificatione permoti, non pauci ad Chriſtiana ſacra pellecti ſunt. Interim propinqui pudore ſuffuſi,ne nihil in ægrorum ſalutem feciſſe viderentur,profanos ritus induxêre; Profani ſacrificuli monſtris ſuis onuſti,ante portam conſtitêre. Ibi ex ijs vnus neſcio quo ritu in gyrum facto,aurem Idoli principis ori apponebat, quaſi quid loqueretur explorans. Demum impoſtor oraculum quod præter eum nemo,ſed ne ipſe quidem inaudierat, enuntiauit: minimè ſe ædes eas ingreſſurum,dum in ijs imago Domini cæli reſideret. Riſu dignum fuit oraculum,nam imaginem, de qua agebatur,prius extulerant Neophyti,quàm profana turba aduenisſet, veriti ne blaſphemis anſam darent indignum aliquid audendi: Id cum impoſtori renuntiatum eſſet, ait, explorato,velut è phæbi cortina,iterum oraculo: Atqui etiamnum crucem ibi reliquêre quæ mihi ianuam intercludit. Magna vis veritatis, quæ ſuum habet in hoſte præconem; Nemo tamen,ex omni ſacrificulorum turma, repertus eſt, qui numinum,quæ vehebant, præſidio fretus, domum ingredi, crucem detrahere,& ſacrum IESV nomen refigere auderet. Ergo à Neophytis petunt vti ea detrahant, illi maioris mali metu,vel neſcio quo alio fine parum cautè ſane, eâ quà potuerunt veneratione, ſubduxêre. Tum demum

mum glorioſi milites in ædes penetrant, multumque laborant vti ab idolo ægritudinis cauſa euulgetur, arbitrati fore, vt diceret, ab idolis ad Chriſti ſacra deſertionem, morbum hunc peperiſſe, quaſi verò non prius in ægritudinem incidiſſent, huius domus incolæ quàm Chriſti ſacra ſuſcepiſſent. Ritus, quo hanc ab idolo falſitatem extorquere nitebantur, hic erat. Supra diſpoſitum in menſa cinerem, impoſitus idoli manui penicillus, quo Sinæ in ſcribendo vtuntur, tamdiu impoſtorum manibus rotatur dum ipſi quod volunt exſcribant, idque ipſi, velut ab idolo ſcriptum, mentientes, pro oraculo enuntiant. Verùm nunc quidem nihil illis ſuæ artes contra veritatem profuêre, nam non ſolùm quod volebant non obtinuere; ſed poſt mille gyros, diffracto penicillo, de oraculo deſperarunt; appoſita tamen aure, vti prius quid iuberet explorantes, aſſeruere niſi intra biduum ægri interirent, ad ſalutem poſſe reuocari. Tum propinqui miniſtros rogant, vti biduo illo ad ægrorum vitam conſeruandam intra ædes diuerſari ne grauarentur, quam vt facilius à Numine ſuo impetrarent, ſacrificia ritusque varios deuouebant. Infelices Miniſtelli Chriſtianorum Numen eiusque vim veriti, hæc conceptis verbis reſpondere. Næ nos amentes ſi hoc fecerimus, veniet Chriſtianus vnus aliquis,

ſignum crucis in Idolum exprimet, illique ſpiritum qui intus latet excutiet, atque ita pu-lim, vt ipſi vocant,ac ſi dicas ſine mente remanebit; atque ita luculenti veritatis teſtes abiere. facta ſunt hæc in conſpectu totius pagi, non ſine Neophytorum gaudio Ethnicorumque ſtupore. Ægri ipſi ſe ab omni profanorum rituum culpa exemerunt,horum enim alter filius videlicet vi morbi mentis impos delirabat; pater vero vim ſibi à propinquis illatam querebatur.

Hæc de Tyronibus nunc ad veteranos veniamus. Eorum permulti quotidiano Miſſæ ſacrificio interſunt,ſacram peccatorum exhomologeſin frequentant,in excitando de peccatis dolore, excutiendisque conſcientiæ latebris ſunt exercitati. Ieiunia Eccleſiaſtica peragunt,licet noſtro more ieiunium ſit perdifficile Sinis, aſſuetis videlicet ter in die refici, ſed tamen omnia facile ſuperant ſtudio religionis; Sinenſis porro abſtinentia in eo poſita eſt vt ſola in cibum legumina oleraue admittant,ceterum quoties velint reficiantur. Sacras verberationes ad exoluendas peccatorum pœnas, aliasque id generis afflictationes frequentes admittunt: tametſi hoc apud Sinas qui de reliquis prope virtutibus præcepta tradidere ſit inauditum: ægros non viſunt ſolum,ſed ſtipe,pharmacis, oratione iuuant, magnamque legi Diuinæ conciliant opinionem in Neophytis ad tumulum efferendis,ita ſunt aſſi-

dui

dui vt omnes Neophytis ſibi alij alijs propinqui eſſe videantur. ſi qui diem clauſit per domeſticæ rei anguſtias ita tenuis eſt, vt feretrum ipſe ſibi comparare ſuo ære non poſſit, id Neophyti faciunt collata ſtipe; nam ſine feretro terræ mandari, extremæ eſt apud Sinas paupertatis. Solemne eſt ijs qui ex ægritudine conualuerunt in ædem ſacram Deo gratulatum venire; tum in frequenti Neophytorum cætu, grates ijs referunt, quorum in ægritudine ſenſere ſubſidia, & fuit vnus aliquis ſeniculus annorum quatuor & ſeptuaginta qui poſt acceptum extremæ vnctionis ſacramentum, breui Neophytorum oratione & officijs ſalutem recepit, is nondum bene conualuerat cum in ædem ſacram adreptat, ibique nixus genibus ab oratione non aſſurrexit niſi poſtquam ſeptem precatorias coronas ſummo ardore decurrit, præter eas quas in bene longo itinere ante decurrerat. In Neophytorum feretrum duo inſerunt, in religionis argumentum: precatorios quibus vita functus vtebatur globulos, doctrinæque ſacræ compendium: aquæ luſtralis quotidianus apud eos eſt vſus, eaque perſæpe vel Neophytis vel Ethnicis ad ægritudines depellendas ſingulare præſidium. Dominicæ Paſſionis tormenta mirum quo ardore excipiant atque venerentur. Itaque hebdomadæ maioris officia magno ſenſu frequentant; ſed nihil æque eos afficit vt ſolemnis per eos

dies Chriſti in crucem affixi adoratio, quam Sinicæ inclinationes ac genu flexiones ſolemniorem reddunt. Porro cum ad crucifixum propius accedunt, toti in lachrymas effunduntur. Eam pietatem inuexit tota quadrageſima, quoties in ædem conueniunt ſacra de Dominicis tormentis oratio. P. Matthæi Ricij obitum tanto ſenſu exceperunt vt in funebri miſſa complures à lacrymis, non nulli etiam ab eiulatibus minimè ſibi temperarint. Iaponiorum Martyrum glorioſam in fidei cauſa mortem pro concione audientes lacrymas etiam minimè tenuêre, ſeſeque ad eos imitandos, ſi fortè ita tempus ferat, incendêre. Id magis mirum quod Sinæ Iaponicos pro hoſtibus habent; ſed hanc innatam animorum diſſenſionem, vna cum fide deponunt. Hæc de Nancianis Neophytis vniuerſim, breuiter nunc illuſtriora virtutis exempla nonnulla ſeligamus. Neophyti cuiusdam ſenis filius, in graui ægritudine, ex qua deinde interijt, lucem veritatis quam ſanus reſpuebat, adſpexerat; tantus porro fuit gratiæ cæleſtis torrens quo eius animus in ſacra expiatione perfuſus fuit, nihil vt ardentiùs optaret, quàm diem claudere, vt eam gloriam quam ſperare iubebatur, intraret: biduo antequam extinctus eſt, importunis à parente precibus extorſit, vt qua ratione ſæpius eum viderat facientem, ita ſe ſacris flagellis cæde-

ret, ad debitas præteritæ vitæ criminibus pœnas, de ſe repetendas; itaque eum parens vel inuitus, vel imprudenter pius, ducentis flagellorum ictibus cecîdit, quod dum faceret, vtrimque obortæ lacrymæ ſenſum pietatis augebant: nec ea flagellatione contentus æger, quo die extinctus eſt idem à Parente & petijt & impetrauit; quod incredibili ſe aſſereret inter flagella gaudio perfundi, quo in gaudio puram vt ſperare decet, animam exhalauit: Nec Patri ſua gaudia defuerunt; cum enim de tali tranſitu iure cónſideret eum ad meliora tranſiſſe, tanto exultabat mentis iubilo, quòd ſe filium habere ſperaret in cœlis, nullum vt Deo Patribusque gratulandi finem faceret; Id apud Sinas paradoxum, qui filios ſibi præmitti, nimis impotenter ferunt, ſi verò vnicus fuerit vt hic de quo agimus, tum demum ſe mortalium miſerrimos arbitrantur, quippe quibus deſit qui ſuum funus curet, & vſitatos ſibi poſt fata ritus exhibeat. Viuebat hic in domo Ethnici Nobilis, è ſanguine Regio quales in hac vrbe plurimi numerantur; Is indignè ferens omiſſos à ſene in filij funere ritus quoſdam profanos, ex eo quærit, cur eos omiſiſſet, qui intrepidè, reſpondit eos lege Chriſtiana quam profitebatur, prohiberi. Quærit etiam, quotidie matutinis horis quo ſe conferat. Ille verò in ædem Chriſtianis ſacram ad vnicum

cæli

cæli Numen venerandum. Indignabundus & blaſphemè ſtolidus infert Nobilis iſte, quem colis cæli Dominum Orizam tibi in quotidianũ ſubminiſtrat alimentum? omnino inquit bonus ſenex nec mihi ſolum ſed & tibi orbique vniuerſo, qua ex cauſa te quoque deceret eius numen è legis Chriſtianæ præſcripto venerari; ſed ſi nondum id agnoſcis, eos qui iam ex cæleſti fauore id aſſecuti ſunt, caue interturbes; me quidem ſic habeto vitam ipſam in eius cauſa poſiturum; neque commiſſurum vllo metu vt quotidianam in eius æde adorationem tanti Numinis intermittam: quibus verbis permotus ille conſilium de eo interturbando depoſuit, hominis conſtantiam demiratus.

Hic de quo iam dixi ſenex in fidei cauſa verba, quos nunc commemorabo etiam verbera pertulere. In ædibus Neophyti cuiusdam, Ethnicus commorabatur, cuius cum vxor in morbum incidiſſet, maritus ſacrificulos precatores induxit; ad Neophytum qui tum etiam forte æger erat viſendum Neophyti non pauci conuenere; ſed cum turbam intus tumultuantem inaudiſſent tamdiu pro foribus ſubſtiterunt, quãdiu intelligerent hos recitatores, non ab Neophyto, ſed ab Ethnico contubernali inductos: Ergo in Neophyti cubiculum ingreſſi (nam Ethnica familia in ſeparato conclaui morabatur) coram Deiparæ effigie quam egregio ornatu

inſignem

inſignem habebat æger, nixi genibus eidem Magnæ Matri ſalutatoriam coronam texuere, inde ægrum ſolati diceſſere. abeuntes porro, aulam in qua erat Idolorum turma neceſſario pertranſibant, qui cum viderent in menſa diſpoſita variaque coram illis in ſacrificium (quæ tamen ipſi poſtea vel ſacrificuli vel domeſtici abſumunt) collocata, ſtomachum non tenuere Neophyti, nam expreſſo contra ferales monſtrorum laruas ſalutiferæ crucis ſigno, per ignominiam dæmones appellarunt: Id impotenter tulere viles Miniſtelli, quærentes fruſtra ſe ſpiritus ſuos ciere, qui hoc ſigno fugantur; Maritũ ægræ mulieris etiam in Neophytos incitantes, tibi inquiunt, quid proderit, ſumptum feciſſe, quem iſti cæli Domini cultores irritum reddidere. Iam abierant Neophyti, ſed in vicum egreſſi cum ſacrificulis omnes qui aderant in eos impetu facto irruere & pugnis exceptos male multauere: non difficile Neophytis erat vim vi repellere ſi vellent; ſed Chriſtianam diſciplinam edocti magno animo iniuriam tulere. Maxime enituit Matthias quidam, is tametſi erat procero corpore ac robuſto, memor tamen ſæpius ſe, vitam in Chriſti cauſa ponendi deſiderio exarſiſſe, non negligendam occaſionem ratus, in media platea genibus poſitis in ſe Ethnicos furentes incitabat, profeſſus gratius ſibi nihil fore, quam ſi ſanguinem vnaque vitam hac

in cau-

in cauſa poſuiſſet. Verùm illi cædendi finem ci-
tius quàm iſti patiendi fecêre: ad tumultum ac-
currerant alij è vicinia Neophyti, qui ſuam ſor-
tem cæſis gratulati, eos in ædem ſacram noſtram
comitati ſunt, gaudentes Deoque gratulantes
quod pro nomine IESV digni habiti erant con-
tumeliam pati. facile fuerat Magiſtratuum au-
thoritate iniuriam referre; nam ex ijs nonnulli
erant apud eos gratioſi: ſed ſua ipſi ſponte &
noſtrorum auctoritate ab omni conatu deſtite-
runt, vt Ethnici docerentur Diuinæ legis, ab ipſo
capite lenitatem, in eius membra deriuari. Ve-
rum pugnauit pro ijs Dominus, nam intra pau-
cos dies, quotquot iniuriam fecerant, cum varijs
morbis conflictari cæprêe, è quibus vnus qui
cæteris auctor ac dux facti fuiſſe dicebatur, inte-
rijt; mirantibus Neophytis, ipſisque Ethnicis
aduertentibus præſentem è cælis iram non cele-
riter minus quàm formidabiliter in noxia capita
depluiſſe.

Quinta Luna ſolent Sinæ quibusdam in vr-
bibus nauigijs oblongis ſed anguſtioribus vecti,
multa gentilitio ritu in ipſo flumine vagi perpe-
trare. Quod facere ſe aiunt ad euitandas eius an-
ni calamitates. Id neſcio quâ excausâ per Ma-
giſtratus fieri in hac Metropoli non licebat;
& tamen ne ritus omitterent idem puerilibus
è papyro ſcaphis pro nauibus factitabant. Eam
in rem & in compotationes pecuniolam ab

ſingulis

ſingulis domibus exigunt. Morabatur ille quem modo dixi Matthias in quodam ex his vicis vbi id impigre curabatur. In eius ædes operis præfecti, ad colligendam ſtipem conuenerunt. Negauit Matthias ſe dæmonibus (hoc enim Neophyti nomine idola compellant) quicquam dare vel poſſe, vel velle, ſcire omnes ſe cæli Dominum venerari, cuius lege ſanctiſſima ſatis notum, ſe ab eo ſcelere deterreri: contumeliosa dæmonum compellatio pupugit rituum præfectos nummorumque collectores. Ergo illi multitudinem concitant, quæ facto in ædes Matthiæ impetu, imprudenter Chriſti ſeruatoris Imaginem ex oratorio, detrahit, minans ſe cum ea Magiſtratus adire criminatura quod legem nuper interdictam (id ſuperioribus annis contigerat) ſequeretur. Quærit Matthias quem ex omni Magiſtratuum turba iudicem velint, cumque illi neſcio quem è Magiſtratibus nominaſſent, non in latebras ſeſe abdidit generoſus athleta, ſed nulla mora ad eius ſe palatium confert ibique accuſatores præſtolatur, qui cum moram facerent Matthiæ nunciatum eos ad alium neſcio quem mutato conſilio ſeſe contuliſſe, ſed cum neque ibi obuios criminatores habuiſſet; ad Neophytum grauem ſe contulit conſilij cauſa, is auctor ei fuit vt ipſos accuſatores accuſaret,

quod

quod in vetitos à Magiſtratu ritus ſtipem collegiſſent: non arriſit Matthiæ conſilium quod ſibi minus è Chriſtiana diſciplina videretur: Ergo Patres conſulit à quibus in ſuſceptc patiendi conſilio confirmatur. Ipſi quoque qui impetum in ædes fecerant iam mitiores facti conquieuerunt, & ſacram effigiem ſine iniuria retulerunt; quo ex tempore non ipſe ſolum Matthias ſed reliqui eius Regionis Neophyti à ſacrilego tributo liberi remanſere.

Certo anni tempore ſolent idolorum miniſtri profanis ſacrificiorum veſtibus ornati per domos curſare, in ſingulis è farina ſelectiore libum dono relinquentes, pignoris eſt forte ut arbitror loco, ut illo anno hi qui libum accepere alium neminem ad ſacra domeſtica præter ſe admittant. Dum hoc die quadam factitant obuios eos habuit puer Neophytus Laurentius nomine annorum vix quindecim, is non ferens impoſtores eos in hunc modum alloquitur, quouſque tandem imperitam plebeculam deludetis? abſtinete amabo ab hoc viuendi inſtituto, pudeatque vos aliquando dæmonibus famulari: geſtabat forte eo ipſo tempore puer manu Virginis roſarium. Et quoniam ipſi quoque idolorum myſtæ ſuos habent precatorios globulos quos decurrunt, nonnihil à Catholico more diſcrepantes, ex ea re anſam arripuit ſacrificulus reſpondendi: tu qui hos globulos geris, næ è noſtra

noſtra es diſciplina? verum Laurentius ſeuera grauique oratione Diuinæ legis & idolorum diſſimilitudinem demonſtrauit. Huic orationi rudis Miniſtellus nihil habuit quod reſponderet, ſed non ipſe minus quàm qui ad pueri orationem audiendam concurrerant, ſuperiorem annis ſapientiam admirati, abiere.

Nondum à pueris abeo: Anni redeuntis initio, omne genus profanorum ſacerdotum id conantur vt varijs artibus aliquam prodigij ſpeciem adumbrent, nam vniuerſi per eos dies immo noctes per idolorum templa vel Religionis vel nouitates cauſa curſitant. In cænobio neſcio quo lucernam eo artificio concinnarant, vt extingui vix poſſet, ſed ita tamen extinguebatur vt ipſa nullius adminiculo recens conciperet incendium; ad eam rem viſendam inter cæteros Neophytus Antonius nomine cum ſuis coætaneis ſtudiorum Sinenſium diſcipulis eo venit. Coætanei eius Ethnici erant qui eum in hunc modum compellarunt. Age vero videndum eſt hodie nobis num in ea quam profiteris lege præſidij ſit ſatis ad hanc lucernam extinguendam. Prouocatus puer non abnuit certamen. Ergo ſigno crucis ſeſe munit & nullo prope conatu eam extinguebat, ſed quod iterum ſua ſponte arderet riſu excipiebatur, fidem igitur ſuam excitans, & denuo ſignum crucis exprimens eam ita extinguit vt nullius ope poſtea

accendi potuerit; id omnes prodigij loco habuere. Ita Dominus ne in friuolis quidem rebus legis ſuæ veritatem ſi opus ſit, deſinit confirmare. Alia multa de his Neophytis dici poſſent, ſed quod in eadem materia non admodum à ſuperioribus diſcrepent omittuntur. Solum ex his arbitror videri noualibus, quàm meſſem promittat hic ager, cum fuerit pro colonorum votis excultus.

Reſidentia Xauceana.

Xauceana ſedes in qua ſacerdos vnus cum vno fratre noſtro conſedit, neminem Chriſto peperit adultum. Hæc ſterilitas ex eo naſcitur quod ſuperiorum annorum Cantonienſes turbæ proſperum Euangelij curſum planè ſtiterint: nam oppidi Macaënſis vicinitas ita ſuſpenſos habet Sinas, quaſi vero exiguus aduenarum numerus ad Imperij Sinenſis Monarchiam adſpiraret; non eſt apud gentem vllam talis metusné dicam an vigilantia; & ſoli Sinæ ſuum ipſi robur non agnoſcunt. Ex eo metu ſparſi rumores eos omnes qui legem noſtram ſuſciperent, quæ aduenarum Macaënſium ſacris non eſſet aduerſa, ab Magiſtratibus, in perduliium numero reponendos; tametſi nihil tale ſit vnquam in Cantonienſi Prouinciæ à Reipublicę

publicæ Rectnribus ſomniatum, nec vllo vnquam tempore in ea Metropoli ſit contra legem diuinam vllum Senatusconſultum pronunciatum. Sed nimirum vulgi metus vt ſine cauſa excitantur, ita nec cum cauſa ſopiuntur: Ex hac maximè Eccleſia vſu magiſtro didicimus, parum firmam in hoc regno ſine Magiſtratuum fauore multitudinem; nam tametſi non omnes Chriſto terga verterint, quotquot annis ſuperioribus in vicinis pagis eius ſacra ſuſceperant; ac plerique ab inanium Deorum veneratione abſtineant, omnem tamen cum noſtris conſuetudinem magna ex parte refugiunt ne pro regni perduellibus aliquando habeantur. Nec ſufficit ad eos à metu reuocandos Xauceanorum Magiſtratuum vel primorum nunquam interrupta cum noſtris amicitia. Cum enim illi falſa omnia quæ de Macaënſibus ſpargebantur non neſciant; & vt vera fuiſſent, noſtras ab ijs ſeparare norunt; nihilo ſecus quàm prius ac fortaſſe etiam magis domum noſtram conſuetaque humanitatis officia frequentant. Hoc tametſi non eſt ſatis ad plebem ad nos reuocandam; ſatis tamen eſt ad hoſtes noſtros ab iniuria quam noſtris inferrent coercendos; ſed nihilominus non eſt res tuta ſatis, aut diuturna; quam ob rem ſæpe inter ſocios actum eſt vti ſedes hæc in vicinũ oppidũ

commodiore ad res noſtras loco transferretur; ſed tum alijs ex cauſis, tum maximè rei familiaris anguſtijs prohibiti hactenus ſuperſedimus, Dominus pro ſua clementia, priſtinam huic Eccleſiæ pacem ſerenitatemque reſtituat. Atque hic finem facio huius anni, rebus geſtis eo libentius quod me inſequens annus Chriſtiana fruge, rebusque ad Diuinam gloriam geſtis fertilior vocat. In Xauceana ſede Nouembri menſe anni 1611.

Ex mandato P. Superioris.

P. V. filius indignus Nicolaus Trigautius.

Litteræ

Litteræ annuæ ſocietatis Ieſu è Sinarũ Regno, anni 1611. ad R. P. N. Claudium Aquauiuam ſocietatis eiuſdem Præpoſitum Generalem.

Reſidentia Pequinenſis.

SI nouellam hanc expeditionis Chriſtianæ apud Sinas plantationem arbori comparauerimus, videtur mihi Pequinenſe domicilium poſſe radix appellari, quæ ſi aruerit, reliquarum Eccleſiarum ramos ſine fructu eſſet ac tandem areſceret. Dumque illa fibras intra terram laborat defigere, interim amænior fructus circa ramos emicat. Quod poſtremo biennio ita præſtitit vt ſpem cultorum ac propè vota ſuperarit. Nec tamen nullos ad radicem ſurculos dedit, non contenta ſuccum in luxuriantes alibi ramos diſpenſaſſe. Hæc vt ſe habuerint dicere nunc aggredior hoc ordine. Primum dicam breuiter domeſtica quædam, tum quæ circa Neophytos tironesque contigêre, ſed ad extremum duo illuſtria rei Chriſtianæ adiumenta reſeruabo.

Huius Anni initio duo Patres ſacerdotes hanc domum incolebant. P. Iacobus Pantoja Hiſpanus. P. Sabatinus de Vrſis Italus quibus poſt aliquot menſes acceſſit P. Nicolaus Longobardus Siculus, qui, cùm bonæ memoriæ P. Matthæo Ricio ſucceſiſſet in hanc totius regni veluti ſpeculam commigrabat, vt ex ea rem Chriſtianam vniuerſam ac ſocios moderaretur. Huic P. Felicianus à Silua Luſitanus, cum duobus è noſtris fratribus additus.

Feliciſſimum rei Chriſtianæ curſum humani generis hoſtis, vbi ſe ſenſit Diuinâ prohibitum manu, minimè poſſe impedire, aggreſſus eſt domeſticis infortunijs perturbare, quæ tamen omnia, Deo propitio, contrà euenêre. In primis igitur Superioris iter infeſtum habuit, ſed ea re minimè contentus, ſupellectilem annuam quæ flumine aduehebatur, nobis conatus eſt eripere. Sentiebat enim conſilia noſtra de offerendo Regi munere, quod iam ante aliquando illi malè ceſſerat. Hoc in hunc modum ſe habuit. Superior neceſſariò vrgentibus negotijs terreſtre iter quod eſt longe breuius arripuerat; reliquerat vero Nanquini è fratribus noſtris vnum qui organum, Regi deſtinatum munus, & aliam ſupellectilem nauigio aduceheret, isque poſt bimeſtre non procul à regia abfuit. Præerat nauigio, neſcio quis Sinicus Doctor, qui in aulam Magiſtratus obtinendi cauſa nauigabat.

Is

Is vt erat cupidus, varijs artibus à vectoribus præter ius faſque iniquas largitiones extorquebat; quam ob cauſam miſit curiales ſuos qui petulantiùs ſupellectilem noſtram explorarent; ſed cum ſentiret nihil emungi; quod videbatur pretioſius, in ſtationem ſuam iuſſit inferri, vtque terreret magis, indicem rerum exſcribi non ſine minis mandat; voluit frater noſter ſolitis eum ritibus viſitare, coràm ſui rationem redditurus, moniturusque videret, quid ageret; pleraque ad Regem deſtinari; ſed admiſſus non eſt. Itaque cùm proficere ſe nihil ſenſit, nihil vltra mouit, mirantibus omnibus, quo fretus, Doctorem Sinicum, Magiſtratu mox inſigniendum, negligeret largitione placare. Cum itinere vnius diei iam abeſſet domo, famulum præmiſit; qui de re tota ſocios Pequini redderet certiores, hi ad Paulum noſtrum, vnicum rerum noſtrarum refugium rem referunt. Is ſchedulam ad importunum exactorem expedit, ac etiam monet alium in Magiſtratu, propinquum eiusdem, qui res noſtras retinebat. Qui acres ad propinquum ſuum litteras dedit, malè ſibi conſulere, qui ad aulam cum hac iniuriæ cupiditatisque fama properaret, videret etiam atque etiam quid egiſſet, dum Regi deſtinatum munus contra ius faſque detineret, ſimul irritaret eos, qui hac in aula à maximis quibusque colerentur. Priusquàm exſcendere liceret,

 accepit

accepit has litteras miſellus, quibus ita perterritus eſt, vt metum ſuum diſſimulare non potuerit. Itaq; per ſuos curiales efficere nitebatur vt ad ſe viſitandum, frater noſter venire ne grauaretur. Verùm noſter vt augeret metum, ait ſe ſuperioribus diebus reiectum, nihil nunc habere quod admodum cum eo tractaret, tamen cũ importuniùs ab his rogaretur, ne pernicaciæ crimen incurreret, ad eum ſe contulit à quo ita acceptus eſt, vt pares à paribus excipi mos eſt. Ea in viſitatione multa cauſatus, quam non poterat eluere notam, excuſationibus confricabat; poſtmodum ritu Sinico viſitationem rependit, ac ſimul omnia cum fide reſtituit. Accidit ſub idem tempus vt domum noſtram veniret is Magiſtratus, cui quotquot in aulam publici muneris obtinendi cauſa veniunt, primis diebus ſiſtere ſe eſt neceſſe. Ei rem vnus è noſtris cum fortè occaſio ita tuliſſet, narrauit. Itáne verò inquit ille? quo nomine vocatur is qui ita ſe ad publicum munus obtinendum comparat? Eum cum ad me venerit pro meritis excipiam. Sed noſter res ſe iam ſuas recepiſſe dixit, nemini nocere velle, cumque inſtaret, ac noſter dicere refugeret, mirè hunc noſtrum morem comprobauit, qui Magiſtratuum fauore ad propulſandam à nobis iniuriam, non etiam ad accerſendum alijs malum vteremur.

Leuè fuit hoc malum, ſi cum ſequenti con-

feratur, nam qui ad exercendam Iobi patientiam non ſolum ei ſua eripi, ſed ipſum etiam hoſtis arbitratu torqueri permiſit, idem voluit vt inter tam inſolitos aulæ fauores, quàm non efferentur, inſignis iniuriæ condonatione comprobarent. Hoſtis igitur humani generis, cum noſtra nobis eripere fruſtra tentaſſet, vnum è noſtris plagis ac vulneribus malè excipi procurauit, quod omnino ſileri non debet, vt gloriemur in infirmitatibus noſtris, & ne deterreantur Crucis amatores, quaſi nihil hîc ſit quod toleretur: pertinet denique ad rem noſtram ſciri quantum vel noſtris ſubuentum fuerit, vel hac noſtrorum moderatione perfectum ſit. Ex ijs Magiſtratibus qui noſtros in hac regia colunt, Vnus eſt, qui ſummum Magiſtratum omnium quotquot in hoc regno ſunt, regiorum Syndicorum, iam nouem totos annos magna cùm integritatis fama obtinet. Idem cenſor eſt ac præſes omnium Magiſtratuum, qui tertio quoque anno munerum publicorum rationem reddituri in aula ſeſe ſiſtunt, quod vtrumque munus in hoc regno maximum eſt. Is iam dudũ cum noſtris & nominatim cum P. Matthæo Ricio eam contraxerat amicitiæ ſocietatem, vt hodie dici poſſit ſummus rerum noſtrarum admirator & fautor inter eos, qui nondum Chriſti ſacra ſuſceperunt. Is quodam die ſeipſum in villam noſtram ſuburbanam (quam ab Rege P.

Matthæi Ricij ſepulturæ attributam infra dicam) inuitauerat. Miſſus eſt ad eum excipiendũ P. Iacobus Pantoja, totum eum diem amiciſſimè cum Patre traduxit, omnia contemplatus, demum rogauit ecquid eſſet in vicinorum villis viſendum; cumque noſtræ communem haberet parietem alia villa, ſepulchrum eius Eunuchi, cui Rex quam nobis dedit, eripuerat, ad eam viſendam noſter eum inuitauit. præceſſere curiales eius aliquot cum vno è famulis noſtris domeſticis, qui cum eam partem in qua tumulus erat clauſam reperiſſent, cuſtosque villæ clauem ſe habere negaret, petulanter ſanè ac ſeruiliter penſilem more Sinico ſeram effregerunt. Eſt hoc grauiſſimum Sinis crimen, vel iure gentiũ neglecto, vel ſepulchrali violatione fædum; ſuccedit is quem initio dixi, cum noſtro rei totius planè inſcij. Aderat fortaſſe tum villa in noſtra faber quidam lignarius, qui neſcio quid operis concinnabat. Is hanc occaſionem ſepulchri viſendi arripiens, inter curiales, cum artis, quo tum forte vtebatur, inſtrumento conceſſit; Ciuis huius amici noſtri ac notus & neſcio quid cum eo eſt forte collocutus. Curioſius omnia contemplati in villam noſtram redeunt. Qui villam cuſtodiebat iam ſepulchri violatione irritatus, vbi vidit virum talem quem ſciebat noſtris in villæ impetratione impenſe fauiſſe, vnà cum fabro lignario ac

vno

vno è noſtris omnia contemplari,ac prope metiri, nihil denique dubitauit hanc quoque nos ſepulturam eripere meditari. Itaque magna feſtinatione mittit, qui Eunuchi propinquos moneat (nam ipſe Regis gratia excidens, mortem in vinculis expectat) accurrunt illi vt rem ſuam tueantur. Interim is, quem dixi, amicus noſter, vrbem ac domum repetit. Remanſit noſter domi neſcio quid curaturus; Itaque cum præterita iactura, & recenti iniuria metuque irritati, qui aduenerant, ex amici diſceſſu audaciores facti, iniurijs Patrem noſtrum impetere, & querelis omnia complere cæperunt. Nondum audierat Pater perfractas fores, nec de ſuſpicione ex fabri lignarij præſentia ſomniarat; itaque vt importunos allatratores compeſceret, egreditur domo, ij Patrem conſpicati, quem nouerant potiſſimum impetratæ ſepulturæ auctorem, iracundiam auxerunt, neque ſe obiurgari ferentes, in Patrem violentas manus inijciunt, cum pugnis, calcibus ac etiam laterculis indignè contuſum in ſuas ædes recludunt, aſſerentes, ſe, vt certam ſibi mortem accerſerent, eum mactaturos, nullum in famulis noſtris qui pauci, vnicoque qui aderat fratre noſtro, præſidium fuit: quin & ipſi quoque malè multati ad euocandum auxilium excurrêre; idque tanta feſtinatione vnus præſtitit, vt illum ipſum, qui abierat amicum, curſu ſit aſſecutus,

quem

quem flexis genibus (neque enim Magiſtratibus aliter loqui fas eſt huic hominum generi) appellans, totius rei reddidit certiorem: is ſummo animi ſenſu rem excipiens, mittit curiales ſuos qui apparitorum ducem (cuius eſt in ſimili tumultu ſubuenire) ſuo nomine mittat in villam noſtram Patri præſidio futurum; quod ſumma celeritate præſtitum eſt prius quam eſſet domi noſtræ auditum, (abeſt enim villa noſtra domo vrbana vnius fere horæ itinere) cũ verò id etiam domi reſcitum eſt, nunciareturque Patrẽ iam proculdubio interfectum mirè hoc ſocios affecit: Iam ad noctem vergebat dies, nec Patri ſubſidium aliud portis erupit, quàm famulus domeſticus, qui iam multos annos domi verſatus opportunè aduenit. Patres enim dum amicos monent, intra vrbis portas incluſi totam eam noctem in mærore ac luctu traduxerunt. Verum famuli noſtri Patrem iam aduerſariorũ manibus ereptum (qui ad apparitorum nomen fugam arripuerant) domum reducunt & quibus poſſunt ſubſidijs fouent. Poſt mediam noctem (nam Pequini nocturnis adhuc horis portas recludunt) ſuperior in villam properat. In itinere fit obuius Paulo noſtro qui longã in luctu quoque noctem abrumpens, ne nihil noſtris in amore cederet, quàm celerrimè poterat auxiliaturus aduolabat, nam pridie quæ ſubmiſerat præſidia præter vnum è famulis qui præceſſerat,

portis

portis erumpere minimè potuerunt. Vbi aduenerunt audieruntque Patrem viuere, tum ipſi quoque propè reuixerunt, inde ad fouendum medendumque conuerſi rem extra vitæ periculum compererunt. Itaque gratijs Deo redditis, & ſocijs monitis tota domus reſpirauit. Audierunt mox Neophyti noſtri neque ſe tenuerunt, ſed certatim omnes accurrunt, remedia ſuggerunt, & comportant, geſtatoriamque lecticam comparant, ipſique domum relatum magno amore comitantur. Vbi auditum eſt ab amicis Magiſtratibus Patris infortunium, tot in domũ noſtram conuolarunt vt ſtupori omnibus fuerit: Indignum omnes factum clamitare, hominem aduenam regia nuper liberalitate donatũ, in ipſa vrbe Regia ab viliſſimis homuncionibus, tam indignè tractari. Monent igitur Iudicem ad quem hoc crimen pertinebat, noſtris nihil agentibus, ſed neque renitentibus, quoniam expediebat reprimi temerarios, ne modeſtia noſtra impudentiam illorum accenderet. Itaque comprehenſi caſtigatique prius, noſtri quàm ſubuenire potuiſſent, ſed ne ad grauiores pænas pergeretur, erat enim prope capitale crimen, noſtri planè obſtiterunt: quod vbi in aula percrebuit paſſim Chriſtianam moderationem omnes prędicabant. Itaque quod humani generis hoſtis in noſtros & nominatim in eum Patrem parauerat, qui perpetuus Matthæi Ricij ſocius fuerat &

grati

gratia plurinium apud omnes valet, in eius caput recidit. nam non parum hoc facto rei Chriſtianæ dignitatis & opinionis acceſſit.

Neque hic ſtetit eius inuidia, quin aliam iniens viam, vbi publica male cedere ſibi vidit, domeſtica tentaret. E domeſticis famulus vnus incautè è regione loci, in quo erat lignorum ſtrues & carbonum copia, extinctas vt rebatur prunas collocarat, ſed qui adhuc ſub cinere viuebat ignis, aſpirante vento erupit, & forte ſcintillam immiſit quæ ſenſim ſerpens iam crepitãte flamma vicinum è Patribus vnum admonuit. Erat tum id noctis tempus quo Patres prius, cubitum quàm concedant totius diei rationem à ſe diſcuſſis latebris conſcientiæ repetunt. Exijt igitur cubiculo vnus viſurus ecquid eſſet, alia omnia arbitratus, cum ſubito flammâ viſa ſocios inclamat, accurrit domus vniuerſa, & vicinis putei aquis, flammam quæ iam propè tectum occupabat reſtinguunt; atque ſi tantula mora interceſſiſſet, actum fuiſſet de domo vniuerſa, nec ibi ſiſtebat malum. nam in hac regia capitale ferunt ei crimen eſſe, cuius ab ædibus incendium cæperit. Eo igitur extincto Deo grates referunt, ac ſi tum iter ũdiuino munere has ædes, hanc ſedem accepiſſent.

His exercitos malis, noſtros longè plura maioraque ſolabantur. primum ea commemorabo quæ circa rem Chriſtianam proximè tironesque

heſque contigère. Puſillus grex Neophytorum Pequinenſium bellè procedit, ijsque ſe occupat pietatis exercitijs, quæ, cùm de omnibus ſuprà comuniter agerem, commemoraui; ſed extulit ſeſe vt ſolet ſupra cæteros, qui nullo prope anno abeſt ab annalibus noſtris Lucas quidam. Is die quadam domum noſtram venit, & cum vno è Patribus noſtris non omittendam collocutionem inijt in hunc modum. Cum perpendo mecum ipſe inſigne illud Diuinæ largitatis munus, quòd me familiamque vniuerſam ſua luce colluſtrauit, & in Eccleſiæ ſuæ membra cooptauit, intelligo quantis ei nominibus adſtringar, vt longè ante præuideam ac prouideam quà ratione perpetuò eius legem SS. intra domeſticos fines nullo vel apoſtaſiæ, quod abſit, vel tepiditatis crimine fœdam, in futura tempora propagem. Ego ſanè quamdiu ſuperſtes fuero, de Diuina eadem bonitate confido fore, vt ſarta tectaque ſit; adlaborabo quippe, ne quà malum intret: ſed malè metuo ne vbi oculos clauſero quâpiam irrepat rei Chriſtianæ neglectio, quâ fiat vt ſenſim fidei lumen extinguatur, quod eſſet ſummum familiæ infortunium, ad quod auertendum vnica videtur filioli mei ac cæterorum gentis noſtræ puerorum neceſſaria educatio; quod omnino mihi videtur obtineri non poſſe, niſi apud ipſos Patres educentur.

Itaque

Itaque etiam atque etiam rogo vti eos quotidianis præceptis imbuendos, domi ſuæ adiungere ne grauentur, niſi fortè quid occurrerit accommodatius. Ita vir bonus: Noſtro Patre conſilium collaudante, ſimulq; referẽte quàm in puerorum inſtitutione noſtra ſocietas, ex peculiari ſuo inſtituto, operam in Europa nauaret, exclamauit: Næ nos beatos, regnumque noſtrum vniuerſum, cum hæc inſtitutio in morem apud nos inualuerit! huic igitur & quibuſdam alijs vt ſatisfieret, conquiſitus eſt quidam Neophytus ludimagiſter, qui non procul ab ædibus noſtris ludum aperiret, & auditores ſuos quotidie pomeridianis horis, diſſoluto iam ludo in æde noſtra cogeret, vbi res Diuinas edocti Europæorũ ſodalitiorum ſimilitudinem pro modulo ſuo conſectarentur. Hic idem de quo dixi Lucas, audierat inter Chriſtianos in more alibi poſitũ, vt ſi quid alienum fortè reperiſſent, id in æde ſacra proponerent, dum rei Dominus compareret; inuenit ille dum fortè vicos obit ſchedulam quandam qua continebantur debitorum nomina centum & amplius aureorum, quæ illi repetere difficile non fuiſſet; quoniam verò mores ſuos ad Chriſtianæ virtutis normam effingere totus curat, eam ſchedulam in ædem noſtram ſacram defert, conquiſitumque Dominum ad nos mittit ſchedulam recepturum. hæc apud hos Ethnicos inaudita & planè paradoxa (nam

Sinæ

Sinæ ſimiles euentus in bona ſua fortuna reponunt, ſimilia ſibi vſurpantes) ab Neophytis noſtris foras profecta, primum admirationem, deinde comprobationem, ad extremum etiam imitationem pariunt. Multa mihi de huius vnius virtute dicenda eſſent, ſed ſit inſtar omnium, aluiſſe eum iam diu & alere trium fratrum ſuorum familias eo conſilio, vt eas Chriſto pareret, quod iam prope perfecit, ne ſit in eius familia quiſquam qui non vt ſanguinis, ita ſit fidei communione propinquus.

Neque tamen ſolus eſt qui virtutis frugem in annalium horrea conuexit. Iuuenis erat quidam ante annos ferè ſex Chriſto renatus, habitabatque apud quendam Sinicum licentiatum ab eoque lautè habebatur, cum autem in morbum incidiſſet, importuniùs ſolicitabatur, vti inuocatis ad ſalutem Idolorum monſtris, ſuffitum incenderet; iuuenis tam fœdam à Chriſto defectionem auerſatus, nec auctoritati ceſſit nec timori; quod vbi vidit ſolicitator importunus, Chriſti ſeruatoris effigiem ei per vim eripit: non tulit Iuuenis diutius iniuriam, ſed ad pauperculam matrem eamque ægram, æger ipſe ſe retulit, vt animi ſalutem, vel cum corporis periculo in tuto collocaret.

Mira eſt in hoc regno filiorum in parentes obſeruantia; & ſi quidem interna reſpondet ei quæ in externos prodit ritus, nihil addi poſſe

G iudicabis.

iudicabis. Eam ob rem natalem illorum diem lætum gratulationibus ducunt. Noſtri Neophyti ſalutarius inſtitutū commenti ſunt, nam non rarò natali parentum die in ædem noſtram ventitant, proſtratique ſuos ritus vni Deo exhibent, ſuffitus ac cereos incendunt, precatorios globulos decurrunt, quod hoc anno fecêre reliquis celebriùs duo. horum alter Patri alter matri eo vſque vitam prorogari precabantur dum veritatis lucem aſpicerent, ne oculos prius huic luçi clauderent, quàm æternæ aperirent, qua in re tantò maiorum ſuorum ſuperant inſtituta, quantò breuibus æterna præferenda.

Ita iſti veteres ritus ſuos noua obſeruantiæ laude perficiunt; ſed ad rem in hac Eccleſia nouam, Neophyti nouos animos attulêre. Aduenerat iam tandem aliquando ampliſſimum Pauli quinti Pontificis Maximi iubilæum, quod cum percrebuiſſet vt ſunt cupidiſſimi Europææ pietatis imitatores, frequentes ad nos conuenêre, ſciſcitantes quid illud ſit quidue exigat, ſe ſui capitis iuſſa, cuius ſe eſſe membra gloriantur & auidiſſimè audituros & cumulatiſſimè præſtituros: Enituit inter ceteros, qui reliquis ad pietatem Dux eſt, & caput, ille noſter Paulus. Hanc ob rem Patres de ſummi paſtoris in vniuerſum Eccleſiæ gregem poteſtate diſſeruerunt; Eum Chriſti vicarium, Petri ſucceſſorem clauibus donatum, cæleſtis

theſauri habere poteſtatem; Eum nunc fideli- bus patêre velle, vt veterum delictorum nomi- na diſſoluerent: his illi mirum quàm affecti fue- rint, & apoſtolicæ ſedis auctoritate delectati. Et quoniam in politica regni adminiſtratione eſt apud Sinas quiddam in re diſſimili non abſimi- le, cum Rex certis temporibus vniuerſi regni reos abſoluit, quam ipſi publicam remiſſionem appellant: Ideo factum eſt, vt ſacram indulgen- tiarum vim, probè penetrarint: quâ intellectâ, magno feruore ieiunium noſtrum quod Sinis eſt perdifficile aggreſſi ſunt, Eleemoſynæ nomi- ne pro viribus quæ potuêre contulerunt, ædem ſacram magno pietatis ſenſu viſitarunt, peccata ſua ſacra confeſſione expiarunt, & qui viſi ſunt idonei (nam magnus hic à nobis eorum delec- ctus habetur) ſacro epulo refecti ſunt. Dici vix poteſt quantum ea res pietatem promouerit, quantum noſtros ſolatio affecerit, cum viderent iam in hoc regno compleri, quod verus paſtor ipſe promiſit; Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor.

Eos inter, qui hoc anno ſeſe Neophy- tis adiunxêre, tyrones quinque fuêre, vel honorum vel ſtudiorum ſuorum gradi- bus inſigniti & quoniam è diuerſiſſimis

ferè regni prouincijs fuêre, ab ijs poſteà diffamatur ſermo Domini venturisque Euangelij præconibus iter complanatur. Ex ijs vnus è Chequiana Prouincia, profeſſus eſt ſe varijs dæmonum illuſionibus, ſalutari baptiſmi fonte liberatum. alter qui iam publicum geſſerat Magiſtratum, è Xanſiana Prouincia, cum in aulam veniſſet, in noſtros incidit ſagenaque concluſus eſt, qui quam acceperat veritatem ei mox communem eſſe voluit à qua vitam acceperat: nam acceptam à noſtris Chriſti ſeruatoris effigiem Matri tranſmiſit; hortatus vt eum quem illa referret, reiectis inanium Deorum ſimulacris adoraret, ac proximo quoque tempore ad ſe in vrbem regiam (iter eſt porro dierum non minus duodecim) ſalutem quam ipſe inuenerat acceptura præperaret. Hoc ſunt ingenio Sinæ vt mox è Neophytis fiant ipſi præcones. Alius ex alia Prouincia, Huquam vocant, ſuperiori nihil abſimilis, famulum habebat Neophytum quendam qui annis ſuperioribus Pequini domi noſtræ ſeruierat, is cum ſenſiſſet herum ſuum varijs agitatum animi fluctibus, in nulla Sinarum ſecta conquieſcere, monuit eſſe in vrbe regia, quò ille pergebat, viros è magno occidente litteratos qui patriam legem ſanctiſſimis moribus ac placitis inſignem prædicarent. Eo cum aduenisset, famuli operâ in Neophytum incidit, à quo Chriſtianæ doctrinæ compendium accepit, euoluit,

euoluit,& memoriæ commendauit,tum ad nos venit,& vno verbo dicam,baptiſatus in hoc ſalutis demum portu conquieuit. alius è Xanſiana item Prouincia Baccalaureus Pequinum venerat vt aduerſus patruum ſuum,quo cum lis ei erat grauis, magnatum fauorem ſibi compararet. Is alia omnia reperit quàm erat arbitratus, nam vt multi faciunt,noſtram, famâ permotus domum venit,res noſtras vidit,audiuit,admiratus eſt. Sed inprimis res fidei noſtræ ea ſuſcepit auiditate,vt proximo quoq; tempore Chriſto nomen aſſcripſerit, quo ex tempore ita permotus eſt,vt omnem de proſequenda lite cogitationem depoſuerit,veritus ne quid illa officeret Chriſtianæ,quam recens profitebatur, pietati, hanc ſe profeſſus litis remiſſionem illi offerre, è quo ſuorum criminum veniam præter opinionem accepiſſet. iamque ad ſuos reuertens, vt erat vir copioſus, & idem eo igne ſuccenſus, quem qui miſit in terras voluit ardere, enixè rogauit ſibi comitem è noſtris dari, à quo mater,familia,propinqui, ciues ſui audirent quę ipſe frigidius erat narraturus: ſed fruſtabatur eius petitionem, operariorum noſtorum penuria; ſi absque illo foret, altero tanto maior in maxima ſegete meſsis eſſet. Vltimus ex ijs quos ſupra quinque numeraui, vt dignitate primus, ita nec reliquis rebus inferior fuit, is ad obtinendum Magiſtratum in aulam venerat,ſed noſtro-

rum congreſſibus opera Pauli noſtri, accipiens poteſtatem filium Dei fieri, quam non ſperabat dignitatem eſt aſſecutus. Baptizatum ſuſcepit è fonte idem Paulus, vt duplici nomine Magiſterium obtineret (prius enim ille ſe ritu Sinico Pauli diſcipulum profeſſus erat) & mox in cuiuſdam vrbis Gubernacula vocatus, hoc nomine gratias Deo egit qui duplicarat dignitatem. Et cum ante ſui officij aditum, hortatorem haberet alium Neophytum, bellici ſenatus Magiſtratu illuſtrem, vt ſua auctoritate vteretur in ea Prouincia ad extinguendam ſectam quandam, cuius impietas Diuinos honores Soli ac lunæ dabat, humanos verò parentibus denegabat, diceſſurus prius domum noſtram venit, Patres rogatum quibus officijs munus publicum ad Chriſtianæ iuſtitiæ normam gereret, nihil ſibi eſſe antiquius, quam commune populi bonum è Diuina lege metiri. Inſtructus abijt ſpem relinquens fore vt Chriſti bonus odor ſit permultis ad vitam.

Præmiſimus hæc ne filum narrationis quam nunc aggredimur interrumperemus. Duo his temporibus ab Sinarum Rege obtinuimus quibus mirum in modum noſtrorum in hoc regno ſtatio ſtabilita eſt, & rebus noſtris dignitas & authoritas comparata.

Primum eſt ſepultura P. Matthæo Ricio [illegible] attribu-

attributa, & habitatio reliquis ſocijs deſignata, in qua legem ſuam, auctoritate regia obſeruarent, Deumque ſuum pro regni Regisque incolumitate inuocarent: quod peritus rerum æſtimator, inter ingentia Diuinæ potentiæ miracula annumerabit, vt ex ſequenti narratione conſtabit.

Deus optimus Maximus qui ſanctos Patris Matthæi Ricij labores ſuo ſemper fauore fuerat proſecutus, noluit eorum fructum vitæ terminis claudi, ſed vt alteri Sampſoni conceſſit vt plus omnino moriens quàm viuens perficeret, id ita contigit. Expletis Eccleſiaſtico ritu exequijs cadauer arcæ ligneæ incluſum more Sinico aſſeruabatur in æde noſtra, dum aliquis ad id terræ mandandum, ager ſuburbanus (nam intra muros Sinis eſt ſepelire nefas) compararetur, quæ res non parum angebat ſocios, vel rei familiaris anguſtijs deterritos, vel rei nouitate ſuſpenſos, nondum enim è noſtra ſocietate quisquam ad eam diem extra Macaënſis Collegij fines humatus erat, procuratum enim vt vel in eo Collegio morerentur, vel eo mortui ad communem ſociorum ſepulturam deferrentur. Id in re præſenti fieri nec poterat, nec vt poſſet decebat; quin potius ideo nobis Diuina bonitas communem parentem eripuerat, vt eius morte magnum aliquid inſperatumque perficeret,

quo die iuſta ei perſoluta ſunt, vnus è Neophytis qui frequentes adfuerant, vir grauis ac litteratus idemque aulicorum negotiorum peritus, dum ædes ſuas repetit, cogitare cæpit, impetrari fortaſſe ab Rege poſſe humando Patri locum ſepulturæ; quæ res præterquam quod Patri erat futura perhonorifica, fidem noſtram, Patrumque in hoc regno ſtationem erat confirmatura. Viſa eſt ei res non indigna quæ ad ſocios referretur, redit igitur, conſilia ſua exponit, facileque perſuadet vt explorent, quem tanta res exitum poſſet ſortiri; Itaque cum eo quem dixi Neophyto libellum Rege offerendum delineant, eũ deinde limandum concinnandumque Leoni Neophyto (quem P. Matthæus Ricius nuper ante obitum ſacris aquis eluerat) Magiſtratui grauiſſimo & Sinenſis eloquentiæ laude celebri tradunt, qui & hoc perfecit, & Patrum conſilium non probauit ſolum ſed direxit, & quamdiu præſens in aula adfuit, non parum promouit. Inde libellus ille familiaribus quibusdam viris Principibus oſtenſus eſt eo conſilio, vt ſocij ſententiam eorum audirent, nec temerè quicquam aggrederentur, & vt ſuo tempore quod ijs auctoribus tentabatur, ijsdem fautoribus procederet. vno omnes ore comprobarunt, & auxilio fuerunt: quod eò magis mirum videri debet, cùm res temeraria videri poſſet; nam externo ad hanc diem nemini, ſepultura ab Rege fuerat

conceſſa,

conceſſa, et ſi quibus indigenis permittitur, eam illi, licet ſint potentiſſimi, multis vix meritis, & ſupra merita largitionibus aſſequuntur. Libellus, in hanc ferè ſententiam latinè quoad fieri poteſt redditus, ita ſcriptus erat. Iacobus Pantoja (is enim externa curabat, Pater Sabatinus rebus domeſticis præerat) regnorum magni occidentis Cliens, libellum offero ſupplicem, in gratiam alterius quoque externi regni clientis, iam vita functi: ſuppliciter ab inſigni tua clementia locum ſepulturæ peto, vt regia tua beneficia ſeſe ad omnes extendant, ipſosque remotiſſimarum regionum aduenas complectantur. Ego Iacobus Pantoja ſum aduena è regno longiſſimè diſſito, verùm permotus virtute ac famâ nobiliſſimi tui regni, triennio maris fluctibus iactatus, amplius ſex mille leucas confeci, non ſine continuis laboribus ac periculis, anno denique octauo & vigeſimo Van-lie (nomen eſt Regis è cuius inauguratione Sinæ ſuos annos numerant) duodecima luna, cum Matthæo Ricio alijsq; ſocijs omnino quinque, ad aulam tuam peruenimus & nonnulla terræ noſtræ munuſcula obtulimus, ex eoque tempore regium ſtipendiũ in alimenta quod tuũ eſt in nos ſingulare beneficiũ recepimus. Tantum illud profectò, vt ſi ſanguinẽ aut vitam ipſam noſtram impenderemus, par tuo merito nihil referremus. Poſthæc anno nono & vigeſimo Van-lie luna

prima, libellum M. T. obtulimus vt aliquem viuendi locum impetraremus quò tua Regia clementia ac benignitas in aduenas eluceret; dumque annos plures voluntatem tuam præſtolamur, neq; vnquam nobis deeſſet, licet nullis noſtris meritis, regius commeatus; trigeſimo & octauo anno Van-lie tertiæ lunæ, die decimaoctaua Matthæus Ricius iam ſenex ex ægritudine diem ſuum obijt. Ego alterius regni cliens, pupillus remanſi, ac ſatis dignus cuius omnes miſereantur, itinere ad Patriam repetendam longiſſimo, nautis cadauere reformidantibus. Qua in re illud ſolum mihi ſpei ſupereſt, nos poſt tot iam annorum M. T. fauorem, non tam exteros, quam indigenas cenſeri poſſe, atq; inter populum annumerari qui regium tuum currum ſequitur vt tua velut Yao clementia (fuit is Rex Sinarum olim qui ab omnibus ſanctus habitus eſt) non ſolo Sinarum regno claudatur, ſed ad extera quoque ſeſe regna protendat, cumque viui regio fruamur commeatu, confidimus fore vt etiam à te mortui terræ gleba tegamur, idque eo magis, quod ſocius meus Matthæus Ricius ex quo magnum hoc regnum attigit, ſedulo dedit operam in diſcendis litteris veſtris iiſque virtutibus exercendis quas veſtri libri docẽt. Accedit eodẽ quod magna animi munditie, extremaq; corporis compoſitione, die noctuq; ſacros

ſacros odores, in ara cæli domini accendebat, eumque rogabat per M. T. incolumitate, vt hac ratione minimā aliquam tuorum beneficiorum partem adæquaret. Suum inſuper candorē fidelemque animum ſummis in aula tua & infimis quibusque probabat (neque enim audeo, quod non eſt, comminiſci) vnde eum omnes diſcendi cupidum (loquendi modus eſt apud Sinas ac ſi virum probum appelles) appellabant. Itaque libros plures edidit, qui iam antę regnis tranſmarinis ſapientiæ laude celebris habitus; vt primùm hoc tuum regnum attigit ab Magiſtratibus coli cæpit. Quo viro cum me meosque non comparare auſim, minus etiam quàm ipſe, ſpei habemus, & dolet nobis, exiguam illi ſepeliēdo terræ portiunculam deeſſe. Cum lachrymis igitur rogamus aut agrum, aut fani alicuius partem aduenæ humando cadaueri. Nos, qui ſuperſtites ſumus ſedulo conſuetum ſocij noſtri inſtitutum obſeruabimus, Cælique Dominum venerantes, ab eo petemus Parenti tuæ, ac tibi millenos vitæ annos, vt quoniam, tanto noſtro ſolatio, fruimur pace & quiete magni tui regni, velut tenuiſſimæ formicæ hanc gratiam rependamus, ad quod præſtandum, ipſum nos tui beneficij pondus impellet, interim regium tuum mandatum exſpectantes. Libellus in hunc modū ſe habebat in quo vertendo ſi ſtylū Sinicum ſecutus ſum,

ſum, quàm proximè, conſulto feci, ratus ita fore gratiorem, facile enim intelligent omnes cuiq; idiomati ſuum eſſe proprium nitorem ac leporem. Sed priuſquam vlterius in re narranda pergam nonnulla ſunt neceſſario breuiter præmittenda, ſine quibus nõ facile quæ ſum narraturus intelligentur.

Ac inprimis ingeſſerit fortaſſe dubitationem aliquam quod in libello dicebatur, Patres permotos regni Sinici fama huc nauigaſſe, cùm Euangelij promulgandi causâ id factum ſit. Sed ſciendum eſt omnino aduenas regno Sinico omnes excludi, præter tria eorum genera qui legibus permittuntur: primi ſunt qui è vicinis regnis annuum regum ſuorũ vectigal ſua ſponte adferunt, neque enim id admodum Sinæ laborant, nulla Imperij propagandi cupiditate flagrantes, alij etſi vectigales eſſe nolunt, tamen huius regni magnitudine permoti, Regem Sinarum velut Regum caput veneraturi adueniunt, quamquam hi lucri ferè causâ aduentantes, ab ſuis ſe Regibus Miſſos mentiuntur; tales ſunt qui ab occaſu adueniunt negotiatores Saraceni, in quorum comitatu, vnus ante annos aliquot frater noſter è Mogorum regno Cataium luſtraturus, Sinarum regnum petijt. Tertij ſunt ij qui huius regni fama permoti ad virtutis, vt ipſi arbitrantur Sinæ, odorem accurrunt perpetuam in eo ſedem figere cupientes, ex ijs olim fuêre permul-

permulti ſed nunc fortaſſe non ita bene olet, vt ipſi arbitrantur. Ex hoc vltimo genere gerere nos oportet, ne legibus excludamur, ideo quod ſuperiores alij ad ſua proculdubio regna remittuntur, habiti pecorum potius, quàm legatorũ loco, idque eam ob cauſam quòd nondum nouit Sinicum Imperium Regem vllum, qui cum amicitiæ iura velit habere communia. Hic verò titulus, etſi aſcitius eſt, retinet nos in hoc regno & ſocios impoſterum non excludit, neque tamen opinandum eſt nos hic Euangelij promulgandi voluntatem, aduentus noſtri cauſam celare; nemo enim eſt qui nobiſcum agit qui hoc neſciat, ſed eo quem dixi prætextu ſeſe Magiſtratus amici tuentur, ad nos in hoc regno per leges retinendos.

Alterum quod prætermittendum non duxi eſt modus hoc regnum adminiſtrandi; qui eſt planè monarchicus; vt omnia ab Rege ipſo ſtatui neceſſe ſit: id fit per libellos, quos cum Rex non admittit, ſeponi iubet; quos autem admittit, ad ſummos regni Magiſtratus bis remittit, vt videant quid fieri deceat. quidquid ab his ad Regem redit, approbandum, qui vix à Magiſtratuum ſententia vnquam recedit. Sed hæc ex ipſa narrationis ſerie clarius patebunt: Scriptus erat hic libellus cum ſuis ſigillis, forma, imo ipſo charactere peculiaribus: multi enim ad hãc rem ritus ex præſcripto obſeruãdi. Prius hos libellos

quàm

quàm ad Regem admittantur, reuideri neceſſe eſt approbarique à quodam grauiſſimo Magiſtratu, qui eos aut tranſmittit aut retinet pro arbitratu, præter eós qui ab ſyndicis regijs proficiſcuntur, ij enim quoties volunt absque vllius approbatione Regi libellos ſuos mandant. Veritus itaque Pater ne hic obex in limine obijceretur, qui rem omnino diſturbaret, effecit auctoritate ſyndicorum Præſidis, de quo ſupra memini apud libellorum cancellarium, vt libellum noſtrum admitteret, quem eo quo accepit die, ac prope momento ad Regem tranſmiſit. Moris eſt vt libelli omnes qui Regi offeruntur ſæpius ab eo qui offert exſcribantur eo conſilio vt ſingula exemplaria ad eos Magiſtratus deferantur, ad quos id quod petitur ex officio ſpectare poteſt. id Pater præſtitit, libellumque primo detulit ad duos qui hoc tempore maximo Colai Magiſtratu funguntur. Alter eorum è Fuquiana Prouincia oriundus prius ad hunc Sinicæ dignitatis apicem quam contingeret Nanquini, cũ gereret Magiſtratum, noſtris familiariter vtebatur. Pequini quoque cum in hoc eſſet Magiſtratu conſtitutus domi ſuæ Patrem Matthæum Ricium bis familiariter exceperat, is cum hunc libellum inſpexiſſet magno ſenſu viſus eſt excipere Patris obitum, eumque ſæpius per honorificis nominibus compellauit; ſed quod ad præſens negotium pertinebat reſpondit, tantum

virum

virum plus etiam aliquanto mereri quàm quod petebatur, cum etiam templo in quo ei ſtatua erigeretur dignus eſſet, (quod fieri ſolet in hoc regno publicè bene meritis) verùm nullam eſſe talem apud Sinas vel legem vel exemplum quo nixus talem ſepulturæ locum, homo externus impetrare poſſet, cogitaturum ſe tamen attentiùs, ecquis modus eam rem procliuem faceret, hæc omnia renunciari Patri iuſſit per vnum è Magiſtratibus ſibi ſubditis, ipſe cauſatus ægritudinem viſendum ſe non dedit. id ſtudio fecit, quod fauere vellet; eſt enim in hac aula poſitũ in more, vt quo quis impenſius alteri patrocinari cupit eo ſtudioſius eius colloquia conſuetudinemque deuitet, ad tollendam omnem largitionum ſuſpicionem. His perſolutis officijs, domi res impenſe Deo commendabatur dum Regia voluntas, quod tertiò ferè die fit, innoteſceret. Ad Regem cum perueniſſet libellus effecit ſine dubio is, qui corda regum manu tenet, vt permotus fortè Rex memoria noſtrorum quondam munerum & horologij portabilis conſpectu, quod ab eius conſpectu nunquam recedit, ſeſe ad annuendum inclinaret, itaque libellum noſtrum cum alijs ad Colaum quem dixi miſit, vt ex more reſponderet; fecit ille, negotium remittens ad id tribunal cuius erat de ea re iudicare.

Exijt igitur die tertia libellus cum hac

approbatione,redditusque eſt ei Magiſtratui qui ad Regem tranſmiſerat, vt illi tribunali, cuius hæc propria cauſſa foret, demandaretur. Cum autem Reſpublica Sinenſis vniuerſa ſex tribunalibus contineatur; videlicet Magiſtratuum, rituum,quæſturæ,operum publicorum, rei militaris ac denique criminum puniendorum. Is ſententiam tulit,eam cauſam,quod munus eſſet regium,ad tribunal quæſturæ pertinere, quo etiam libellum mox transmiſit vti reſponderet. non hîc extra metum erant Patres, quòd in eo tribunali nullus eſſet admodum familiaris Magiſtratus,à quo fauorem ſibi poſſent polliceri. Pater rem itaque retulit ad amicum illum ſyndicorum præſidem,qui operam ſuam obtulit ad eum libellum, à quæſturæ tribunali ad rituum tribunal, in quo plurimi noſtris impensè fauebant transferendum, nam ad illud quoque, cui externi omnes ſubditi ſunt,iure poterat pertinere, nec minus fecit quàm promiſerat,quare præter auxilia Diuina,humana quoque ſperabamus. in eum finem contulit ſe Pater ad duos,quibus hoc negotium à tribunalis Præſide ſpeciatim fuerat demandatum,quibus detulit tenue librorum,quos noſtri iam Sinicè fecerant munuſculum, cum orbis terrarum Coſmographica deſcriptione. Vterque tametſi noſtris non erat notus,& poſtulata noſtra comprobarunt, & opem ſuam quàm liberaliſſimè obtulerunt, & eorum

alter, cùm viſitationis officium de more rependeret, recepit, ſe reſponſum quàm maximè ex animi noſtri ſententia Regi redditurum, idque non ſolùm ex propenſa in nos animi ſui voluntate, ſed quod illud impensè ab ipſo Colao propinquo ſuo eſſet commendatum; quæ verba noſtros non parum de rei feliciſſimi ſucceſſu, ſecuros reddiderunt. Leo quoque Neophytus noſter ad rituum tribunalis ſummum præſidem ſe contulit. Is vir erat grauiſſimus vel officij Maieſtate vel litterarum fama vitæque integritate venerabilis; cum eo velùt cum Magiſtro quondam ſuo, multis egit de re noſtra ad quam ille opem ſuam quoniam nunc in eo res tota vertebatur & promiſit liberaliter & exoluit poſtea cumulatè. Interim dum Patres hoc rituum tribunalis reſponſum taciti præſtolantur, non defuit vnus aliquis ex eodem Tribunali, qui perſuadere conaretur ſufficere ſi noſtris pars aliqua cœnobij profanorum cœnobitarum aſſignaretur, in qua vna cum illis noſtri morarentur. Quod ex itinere, dum ad munus ſuum gerendũ ex aula recedit Doctor Leo, Patribus ſcripto renunciat, idem addit ad eundem qui hæc ſpargebat, litteras quibus rogabat vti noſtris in hoc negotio fauere ne grauaretur; nec in animum induceret poſſe noſtros aliquid cum profanis illis idolorum Miniſtris habere commune, quorum educatio, vita, lex, eruditio tantopere ab

eorum inſtitutis diſcreparet. perculit ea res nō-ſtros quod ſatis per ſe procliuis videretur, quod-que ſi contingeret non eſſet noſtris inſtitutis perincommodum ſolùm, ſed etiam S S. Religioni noſtræ minus honorificum. Verùm paulo poſt reſcitum eſt eum inanem fuiſſe metum, alia omnia, multum ex animi noſtri ſententia comparari: quo audito noſtri non parum reſpirarunt. id ſecundum reſponſum intra menſem ad Regem redijt, quod pro Sinenſium negotiorum cunctatione præproperum videri poteſt; reſponſum tribunalis rituum nomine, ita ſcribebatur. Initio, ex more libellum ſuperiorem ad verbum repetebat, deinde ita proſequebatur. M. T. mandauit vt de hac re illud tribunal ad quod pertinet iudicaret. cum itaque ad me perueniſſet, regni noſtri leges conſtitutionesque euolui, vnam reperi in hanc ſententiam: ſi aliquis ex ijs aduenis, qui ad hoc regnum ſolent vētitare, in itinere moriatur, ſi cliens eſt (nam ipſi quoque Reges aliquando venêre) & nondum ad aulam noſtram peruenerit, Quæſtor noſter in ea Prouincia inqua diem ſuum obire contigerit, ei locum ſepulturæ deſignabit; & ad eam lapidem eriget in eoque ſculpet, quis fuerit qui vita functus eſt, & quo conſilio venerit. Alia quoq; lex ait: porro ſi mori contigerit poſtquā aulam attigerat, prius quàm regia fuerat munificentia ex more donatus, vrbis Regiæ Gubernator

nator illi ſepeliendo ſumptum ſuppeditabit; porro ſi iam fuerat regia munificentia ex more donatus, ſuo id ſumptu comparabit. nunc verò tametſi Matthæus Ricius cliens non erat ab ſuo Rege huc legatus, è remotiſſimis nihilominus partibus huc aduenit, permotus huius regni noſtri fama, & iam annos plures regio fruebatur commeatu, tandemq; vrgenti ætati conceſſit, iter autem ad eius regnum remotiſſimum, ideoque eius feretrũ in Patriam reuehi minimè poteſt: quid igitur? cadauer in ſumma humo expoſitum comiſeratione dignum non erit? quod ſi dignum eſt, annon quoque iuſtum eſt vt ego me Iacobi Pantojæ poſtulatis accommodem, & aliquam allatis legibus interpretationem inueniam, vt denique ei detur ager quem ad ſepulturam poſtulat, hacque ratione noua veteribus M. T. beneficijs beneficia cumulentur? quando hic in manus meas libellus venit, vidi planeque perſpexi inſignem virtutis tuæ regiminisque tui famam, ad ſe pellicere regna terrasque remotiſſimas, ex ijsque viros qui nunquam lapſis retrò ſæculis ad hæc regna peruenerunt modò permotos allectosque bonis regni tui moribus ac legibus huc aduenire, prout nobis exemplo Matthæi Ricij ſociorumque eius conſtat, qui iter immenſum emenſi ad aulam denique tuam peruenerunt Maieſtati tuæ dona obtulerunt, tuaque beneficia iam plures annos receperunt, idem quoque Matthæus Ricius

ſedulus in diſcendo fuit ſenſimque proficiens multa aſſecutus eſt, libroſque celebres edidit, ac denique vita functus eſt: cadaueris externi è regionibus remotiſſimis quis non miſereatur? nunc eius ſocius Iacobus Pantoja in eius ſepulturam agri particulam petit; cuius licet cauſa non eadem ſit cum legatis ſuorum regum, tamen cum ita diu vixerit in vmbra tuæ Maieſtatis vt ſe iam pro indigena haberi velit, eidemq; viuo ac ſocijs ſtipendium in alimenta numeratū ſit, eius mortui cadauer in ſumma terræ ſuperficie iacere quis ſinat? præterea Iacobus Pantoja cum reliquis ſocijs cupit mortem à vita non diſcrepare, vt inſignis tua clementia mortuos non ſecus ac viuos complectatur, ideo prioribus eius poſtulatis aſſentiens, peto vt Tua Maieſtas iubeat ex hoc tribunali ad Gubernatorem huius vrbis Regiæ mandatum mitti, vti fanum aliquod deſertum abſque incolis conquirat, ac ſimul agri partem ad Matthæi Ricij ſepulturam, & ad Iacobi Pantojæ ac ſociorum habitationem vbi ſuo arbitratu ſuam legem obſeruent, cæli Dominum venerantes, eum pro Tua Maieſtate deprecentur. Hæc res eſt digna tua magnitudine, arida ipſa ligna (id eſt cadauera) complecti beneficijs, & aduenas è longinquo benignè humaneque tractare, quod valebit etiam ad eos magis magiſque extimulandos vt fama tui regni inperpetuum propagetur. Itaque cenſeo iuſtum

ſtum eſſe eius annuere poſtulatis, nihil tamen auctoritate fretus propria ſtatuere. M. T. certiorem reddo, vt id ſtatuat quod è re ſua magis eſſe iudicarit: anno Van-lie octauo ac trigeſimo, quartæ lunæ tertio ſupra vigeſimum. Hactenus libellus. Eum Rex cum accepiſſet inſequenti die ad Colaum ex more remiſit, vti responderet, qui ſubſcripſit ita ſibi videri faciendum, ac remiſit ad Regem, qui propria quoque ſubſcripſit manu: xi, id eſt fiat vel ita ſit, tertioque die redditum eſt hoc vltimum reſponſum, rei totius clauſula; qua ex cauſa noſtri ingentes Deo gratias vt par erat habuêre; cuius numine res tanta ad Euangelij in hoc regno promulgationem ſtabiliendam iam perfecta erat: porro non in executione minus quàm in impetratione eius eluxit potentia, cum difficultates omnes ita reſciderit, ac ſi totius aulæ magnatum animos in pauperum aduenarum patrocinium conſpirare mandaſſet.

His peractis reique ſumma iam in tuto collocata, ad agendas ijs gratias, qui hoc negotium huc vſque promouerant, Pater adiecit animũ; & quoniam vacuis in re ſimili manibus comparere Sinis eſt inurbanum; neque munera tantis viris digna noſtra paupertas patiebatur, quæ neque ipſi à nobis expectant, Pater Iacobus Pantoja qui rem hanc vniuerſam procurauerat nonnulla pereleganti opere, in quo eſt ſane ad-

mirabilis, conſtruxit horologia Solis Lunæ ac ſtellarum ſimul vna in lamina eburnea, quæ vt noua, fuêre gratiſſima, cupiditasq; eorum vſum ediſcendi Patrem admiſit in intima horum primatum penetralia, quod auctoritatem ſimul ac facultatem negotij plane conficiendi dedit. Ipſe Colaus inprimis Patrem humaniſſimè tractauit, in muſeum ſuum ſanè familiariter admiſit, vſum horologij didicit ipſe feliciter, vt mox in ipſo ſole experimentum fecerit magna ſua voluptate. ab eo tum petijt Pater, vt à Pequinenſis Regiæ Gubernatore peteret, vti de loco nobis opportuno prouideret. recepit ac præſtitit deinde cumulatè vt infra narrabitur. gratias quoque referre verbis ac ſimili munuſculo non omiſit Pater Præſidi tribunalis rituum, cuius nomine ſecundum hoc regium reſponſum fuerat impetratum. Is etſi eſt è maximis huius aulæ primoribus & qui proximo gradu ad ſummum Colai munus aſpirat, excepit tamen tanta Patrem vrbanitate quanta gregarius quilibet Magiſtratus: nam & abeuntem ad mediam vſque plateam coram vniuerſo ſuo comitatu honoris cauſa deduxit. Deinde die inſequenti domum noſtram, magno apparatu venit viſitationis officium redditurus, quod ab eius generis Magiſtratu nec ante fieri contigerat, nec ſperari poterat, ibi familiariſſime præter multa vſum

horolo-

horologij ſui didicit. Dici vix poteſt quantum in hac re noſtris fauerit, & quantam ex his congreſſibus de Diuina lege opinionem conceperit. id maximè patuit cum ante datum Regi reſponſum, adijt eum Pater rogaturus vt nonnulla immutaret, quæ videbantur Euangelij promulgationem impoſterum poſſe velut è tranſuerſo non nihil impedire. Verùm ille ſubriſit, ſolemnia ſunt iſta, inquit, verba, Tribunalium loquendi modus, qui nihil addit aut demit. Quod porro eſt, ait ille, tota hac aula tribunal, quod non intelligat legem illam quam prædicatis iuſtam eſſe, veram eſſe? & ſanè negotium veſtrum hactenus eo vſque prouexi, quo ſummus fauor poterat peruenire. Nec hoc contentus ſcribam Gubernatori Pequinenſi cuius nunc in manibus eſt negotium vti locum ex animi veſtri ſententia conquirat, is amicus meus eſt meusque in Doctoratu Collega, eiuſdem anni (hi ſe per totam vitam fratrum loco habent & appellant), Dominus tantis tanti viri beneficijs rependat aliquid ſui fauoris, vt quod verum fatetur amplectatur. Præſidis exemplo adducti cæteri eiuſdem tribunalis Magiſtratus, pro ſe quiſque noſtros honoribus colere, fauore proſequi nunquam deſtitêre. Nec hi ſolum ſed ipſi quoq; curiales, qui ſæpe moleſtiores ſunt heris ipſis, nullũ noſtris negotiũ, ſpe alicuius largitionis emũgendæ

faceſſerunt,ita vt res tanta nullo prope ſumptu perfecta ſit. Hactenus noſtri Neophyti ſeſe præ gaudio vix capiebant, ſed tamē vbi tantam tanti viri in nos humanitatem vidêre, ſtupuerunt, aſſerentes ſibi nunc demum exploratum eſſe totum hoc negotium à Deo optimo maximo, præter ordinem gubernari: quis enim non ſtupeat virum hunc qui nulli nec propinquo vnquam nec amico in tota vita per omnes quos decurrerat honorum gradus, fauerit, iam præter morem tenuibus aduenis ante ignotis, à quibus nihil ſperare poterat aut metuere, tam impensè fauiſſe? confecto iam noſtro negotio cum idem parentis ſuæ luctum, abdicato ex more Magiſtratu, triennem ingreſſus, domum repetijt, Patrem qui parentatum ritu Sinico iuerat, familiariter interrogauit ecquid ab ſe in hoc negotio expectaret?

His viſitationum officijs, hoc euentu expletis, ad Gubernatorem conciliandum applicuit Pater animum. Noſtris erat ignotus ille, ſatisq; metuendum ne nihil admodum de re noſtra laboraret: ſed qui omnium corda manu tenet, hunc præ cæteris omnibus nobis ita conciliauit vt in cauſa noſtra nihil dubitauerit maximorū inuidiam incurrere, noſtroſque contra multos incurſus deinde tutari. Is prima Patris viſitatione ita captus eſt, vt omnia cumulatè ſpoponderit, & opportunè accidit quo tempore Pater

cum

cum eo colloquebatur, litteras ab vno, ab altero preces, vtroque grauiſſimo Magiſtratu venire, vti noſtris impensè faueret; quod propenſum iam eius animum planè in noſtram partem impulit, cùm videret quo loco nos haberent maximi aulæ primores. Die inſequenti magno apparatu domum noſtram miſit dignum ſe munus, ipſe deinde ſubſecutus eſt, quã ex viſitatione tam intimus repentè haberi voluit, vt imposterum in libellis viſitationis eo ſe titulo compellaret, qui domeſticum ſonat, quo non æquales ſolùm ſed intimi quique ſe compellant: fortè hoc ipſo tempore contigit vnum ex ijs Magiſtratibus ſine cuius ſigillo mandatum Regium intimari Gubernatori non poterat, aliquod mẽſes nominatum illum quidem, ſed ab Rege nondum confirmatum, ſigillo carere, quæ res noſtrum negotium vna cum reliquis retardabat. Eo tempore ex amicorum Magiſtratuum conſilio noſtri locum aliquem ſibi commodum cõquirebant, ſed nihil inuênere quod omni ex parte poſſet probari. Itaque ſtatuerunt rem ipſis Magiſtratibus permittere, Deo fidentes, quod vt optimè poſtea ceſſit, ita valuit multum, ad eximendos inuidia noſtros, quos conſtabat ſepulturæ locum ab Rege petijſſe, ab Magiſtratibus accepiſſe.

Dum hæc geruntur resque in longum abitura videretur, Patribus nec opinantibus ſcripſit

amicus quidam è rituum tribunali tempus eſſe cum Gubernatore agendi, nam die inſequenti Regis mandatum in eius manus deuenturum erat. ſtupuêre noſtri cum conſtaret eum, quem dixi Magiſtratum, ſuo nondum ſigillo vti poſſe, vnde illis tam repentinus fauor. Pater Colaum denuo adit in memoriam reuocaturus ſi fortaſſe tot inter negotia noſtrum illi excidiſſet, vt cum Gubernatore ſuam ipſe auctoritatem interponeret. Qui conſpecto Patri præripiens ſermonem, negotium mihi veſtrum, ait, minime excidit, nam cum vererer ne in longum res abiret, præter reliqua vnum hoc ex ſingulari fauore ad me ſine ſigillo adferri iuſſi, & ad Gubernatorem deſtinaui, cui etiam ipſemet rem commendaui, tametſi nihil erat opus, nam & ille propenſiſſimo erat in vos animo, magnique omnino vos facit. Idem quoque commendaui alteri cuidam conciui meo ex eodem tribunali, ad quem ea quoque res neceſſario pertinebit. Hæc ille coram complurimis, ſtupentibus omnibus maximeque ipſo Patre, qui tum demum intellexit vnde nobis tam inopinus fauor affulſiſſet. Reddat illi Dominus hanc beneuolentiam ſua tandem aliquando luce donato; ab ipſo quoque, quem dixi rituum Præſide litteræ impetratæ ſunt in eandem ſententiam ampliſſimæ. Nec ipſum Gubernatorem rogari à tantis viris pigebat, vel quod eos hac

ſibi

ſibi ratione obligaret, vel quod eorum virorum auctoritate factum ſuum tueri aduerſus obtrectatores fortaſſe aliquos deinde poterat, prout fecit: eum quoque Pater eodem die cum ſuo munuſculo viſitauit; quod vt ille acciperet adduci vix tandem potuit. Die inſequenti pro tribunali iuſſit, vti duo alij Gubernatores ei ſubditi qui propius negotia popularia attingunt, mitterent qui eiuſmodi ſepulturæ locum inueſtigarent, quam celerrimè, ſibique renunciarent. Eos quoque Gubernatores cum Pater viſitaſſet beneuolos fore reperit, nam infimi omnes ad nutum ſeſe ſuperiorum accommodant: ij quos huic negotio deputarunt, iuſſi domum noſtram venêre, vti ex Patribus intelligerent cuiuſmodi locum vellent, iuſſi enim erant Gubernatores Patrum quoad fieri poſſet ſequi voluntatem. Tridui quatriduiue ſpatio quatuor ipſi loca deſignarunt, rogaueruntque vti noſtri maxima diſſimulatione, quaſi qui locum aliquem ſuburbanum, in quem ex more Sinico ſeſe reciperent ſtudiorum cauſa in ea ſeſe conferrent, electuri, quòd è deſignatis quàm maximè placeret. In his erat fanum quoddam prius villa ſuburbana, Eunuchi cuiuſdam è maximis Regij palatij, qui cum neſcio quid peccaſſet, ab Rege capitis damnatus in vinculis viuit etiamnum, neſcius qua eum die, iubeat

Rex

Rex extremo ſupplicio affici. Is cum ſe videret non gratia ſolum regia excidiſſe, ſed in eas anguſtias redactum: hanc ſuam villam raptorum ut manibus eriperet (Eunuchorum enim in hoc regno bona ferè ſunt illius qui primus occuparit) eam villam in fanum conſecrauit, idque ſpecioſo nomine, diſciplinam bonitatis appellauit, Leges in hoc regno non ſinunt priuatum quempiam fana erigere, (et ſi conniuentibus Magiſtratibus permulti, maximè potentiores Eunuchi, erigunt) quæ tamen erecta quolibet modo fuerint, eo ipſo ſub rituum tribunalis recidunt poteſtatem. Sed qua ille arte villam ſuam cõſeruatum ibat, eâdem perdidit. Neſciebant Patres cum hunc locum luſtrarunt, Eunuchum illum adhuc eſſe ſuperſtitem; quod ſi ſciuiſſent, non facile eum cæteris prætuliſſent, poſtea autem quàm reſciuêre non erat in eorum amplius poteſtate fani alterius electio. Villa erat accommodatiſſima, nec plus quàm vnum idolorum miniſtrum alebat, ementito enim fani nomine, re villa ſuburbana fuit, mox igitur qui miſsi erant Gubernatores illos inferiores certiores reddiderunt: quorum alter vt à noſtris largitionem fortaſſe aliquam emungeret, vnum ex ijs remiſit vt pretium eius loci æſtimaret, ſciretque ex ipſis loci cuſtodibus quanti eum æſtimarent: Reſpondit qui mittebatur in munere regio pretium non ſpectari, inquiri verò de pretio omni-

no non

nō non poſſe, nam ſi quid fortè poſſeſſor ſubodoraretur, cælum ac terram proculdubio motu-rum eſſe ad ſuam villam conſeruandam, quod etiam quolibet alio in fano futurum erat, cùm nullum eſſet plane ab omni cuſtode ac poſſeſſore deſertum. Gubernator nihilominus ille qui nummos non cauſas volebat à ſuo imperio nihil remiſit. Ibat ille parum lætus, & ecce Diuino plane conſilio pro foribus amici cuiusdam Magiſtratus, è domeſticis noſtris famulum quē nouerat conſpicatur, accedit, narrat quorſum & quàm inuitus eat: aderat in ea domo Pater rei curandæ, hunc famulus, iuſſo tantiſper homine præſtolari, de re tota reddit certiorem. non Patrem minùs quàm amicum ea res perculit à quibus largitionis ſpem id olere mox intellectum. Itaque amicus ille qui longè ſuperiorem gerebat dignitatem iubet eum qui mittebatur morari, dum ad Gubernatorem ſcribat, ſe res noſtras habere pro ſuis, eas tractet vti ſuas ac ſimul verbis mandat, de pretio nihil ad eum attinere, viſurum ea de re Gubernatorem maiorem, iuſſum eſſe locum, non pretium inquiri. Hic, vt erat inferioris ordinis, reſpondit quàm modeſtiſſimè, ſe iuſſa facturum, idem Patri qui deinde ſubſecutus eſt, reſponſum dedit, & mox Gubernatorem ſupremum monuit, qui pro tribunali ſua manu ſcripſit: diſciplinæ bonitatis fanum quod N. Eunuchi, capitis à Rege da-

mnati

mnati ſit,nihil opus eſt pretio comparari, idolorum miniſter qui id incolit expellatur, & Iacobo Pantojæ ac ſocijs illico tradatur: quanquam omnia,quàm ſecretiſſimè fieri potuit hactenus, peracta ſunt, non defuit tamen priusquam hæc vltima ſententia ferretur, è curialibus neſcio quis, qui Eunuchi propinquos moneret, agi de ſuo fano, auctoritate regia, magni occidentis aduenis tradendo, ſed quia id in animum ſibi inducere minimè potuerunt, nihil ante hanc vltimam Gubernatoris voluntatem mouêre. Impetrato hoc mandato, ingentes Deo gratias noſtri retulêre, rati nihil iam ad rei firmitatem ſupereſſe: ſed nimirum ignorabant quantis adhuc emenda laboribus; actis Gubernatori gratijs Pater eum rogat, vti profanum illum fani cuſtodem ad ſe accitum ipſe amandet: nec mora,ſatellites duos deſtinat,qui eum in diem craſtinum pro tribunali ſibi ſiſtant, ibant ſatellites cum mandato in tabulis, ex more deſcripto, vt eum adducerent, & ecce illum ipſum nihil minus opinantem ex itinere offendunt,moxque abducunt in Gubernatoris palatium vbi in ſequentem diem mirè ſuſpenſus ſubſtitit, ecqua culpa inſimularetur: qui vbi aduenit, nixis coram Gubernatore genibus, ab eo iuſſus eſt templum ſuum extemplo deſerere,& in aliud commigrare, quoniam illud ab Rege,Iacobo Pantojæ ac ſocijs eſſet datum,eorū

lex,

lex, à tua inquit multùm differt, cõmunem cum illis vitã agere nullo modo potes. Abijt ille nec verbum locutus, imò ſatis lætus, ſe metum verberum, & alicuius culpæ grauioris euaſiſſe, nec mora, ſuam ſupellectilem conuaſauit, eoq; ipſo die abſceſſit. ergo noſtri eodem ipſo die Neophytis comitibus loci poſſeſſionem adierunt, ea res, facile eſt credere, quantum Eunuchum illum reum, ſuæque factionis cæteros pupugerit, itaque in villam mox concurrêre nonnulli, quibus Patres dixêre ſe ab Rege, defuncto ſocio aliquem ſepulturæ locum petijſſe, hunc ſibi ab Magiſtratibus ſua ſponte, nulla ſua poſtulatione aſſignatum: Ii cum Regem Magiſtratusque audierunt, abiêre, nondum ſatis certi, quid conſilij in re tam deſperata caperent; verebantur enim ne ſi quid molirentur extremam reo perniciem accerſerent: id maximè patuit cum ad Patrem venit Eunuchus vnus aliquis, aſſerens conſtare iam ſibi noſtros in hanc villam occupandam immiſſos eſſe ab Magiſtratu, ſe ipſos non intruſiſſe, certum tamen ſibi eſſe ius ſuum proſequi, petere ſe, eam rem noſtri ne grauatè ferrent: cui reſpondit Pater, ſe nihil habere quod moleſtè ferat, dum ipſi rationis limites ne excedant. Interim tamen tempus illis iacturæque ſenſus omnem exemit metum. die quadam, explorato tempore quo vterque Patrum aberat à villa, non pauci

Eunuchu-

Eunuchuli turmatim irrumpunt, cumque vnū è fratribus noſtris cum aliquot Neophytis, quos ad loci cuſtodiam Patres reliquerant, reperiſſent; nixi genibus, quo cultu Regem venerari, & appellare ſolent, aduenas illos loci iam Dominos licet abſentes ſalutarunt, quid enim illis deerat, aiebant, præter vnum regnum, quibus ſatis fuit virium ad Eunuchos ſuis poſſeſſionibus exuendos? hæc & ſimilia cum in noſtros inieciſſent, dixerunt, fanum illud quidem ab Rege Magiſtratibuſque donatum, ſed non fani ſupellectilem: Itaque nolentibus ijs, qui aderant, multam extulêre. Huius generis fuêre rupium quædam fragmenta, quæ Sinis ad oblectationem in pretio ſunt. abiêre multi cum ſupellectile, quam efferebant, reliqui cum fratre noſtro ac Neophytis collocuturi conſedêre. dic amabo (ad fratrem noſtrum conuerſus ex illis vnus) iſte tuus Magiſter ecquod habet philtrū quo ſibi hominum animos & tantorum tam arctè deuincit? Magiſter inquit meus (ita enim fratres hic noſtri cum de Patribus agunt, loqui ſolent) virtutem habet, litteras, libros legem Dei ſummi, quam in omni conſeſſu prædicat, his nullum eſt efficacius pharmacum, ad Magnatum animos ſibi adiungendos. Amabo te ait ille cùm diſcipulus eius ſis, perſuade illi, etiam atque etiam, vti aliud ſibi fanum maius ac melius ab Magiſtratibus deſignari curet. Sit iſta in-

quit frater noſter veſtra cura, neque enim eum pro ſua modeſtia, decet maiora, melioraque poſtulare; quidquid ab Rege Magiſtratibusque datur, ille id omne pro magno habet. his fratris noſtri prudentibus reſponſis, & cuiusdã è Neophytis qui aderant, & longa & appoſita oratione placati, ſine iniuria receſsêre. Cum in exteriorem aulam in qua erat idolorum ara peruenêre, ex ijs vnus nixis genibus, ita cum primario ſimulacro eſt collocutus: vale extremum vale, neque enim ego hanc aulam poſthac meo arbitratu, vti prius, ingrediar. Verum alius ab iracundia colloquij materiam ſumens, dignius veriusque cum eodem ſimulacro eſt prefatus: maſſa ſtercorea luteaque (ex luto enim inaurato conſtabat id monſtrum) ſi tibi non fuit virium ſatis, ad fanum tuum teque ipſum tuendum, ego quid opis à te ſperare poſſum? nullo honore digna es, nec vllum ego tibi venerationis genus exhibeo, ita ille. Alij dicebant hoc ſimulacrum alterius idoli nomen olim gerebat, permutatum eſt, alterique attributum, ideo nunc prius illud de vſurpatore vindictam ſumit: his alijsque contumelijs affecta ſimulacra, fanumque quondam ſuum reliquêre.

Nondum hic finis tragœdiarum quas Eunuchi concitarunt. Reus ille vbi vidit omnia vndique ita vallata eſſe vt ſuo nomine nihil ſine periculo vltra ſibi audendum ſupereſſet, hãc

ſuam villam, alteri Eunucho è ſupremis,qui apud Regis Matrem erat inprimis gratioſus, ea lege donauit, vt eam noſtris eripere omni ope atque opera conaretur. mouit is omnem lapidem,ac primum à metu ac minis cæpit: immiſit enim adoleſcentes Eunuchulos domeſticos ſuos in villam noſtram, quo tempore noſtri aberant; qui metu ac minis, ſed inanibus, quales ferè ſolent eſſe Sinarum, cum omnia repleſſent abierunt. Pater veritus ne ſimiles moleſtiæ ſi diſſimularentur, frequentiores fierent, ipſum Eunuchum illum villa donatum adit, quod cũ is audiſſet, ſtatuit ipſe quoque tentare ſi quid ſupercilio poſſet Patri timoris incutere: queſtus eſt multis primum acriter ac ſuperbè, ſed Pater nihil turbatus partim grauitate ac rationum pondere, partim quoque nihil ſe eius potentiam minasque formidare præſeferens euicit, maxime vero territus eſt cum à Patre audijt ſe libellum Regi daturum vt ſibi faciat in Patriam redeundi facultatem, peroſo iam earum moleſtiarum quas ab eo patiebatur. Id aſſerebat, quoniam nullus eſt Eunuchorum,qui neſciat Patres noſtros ab Rege velle omnino retineri, moleſteque laturum, ſi quis nobis negotium faceſſeret, itaque iam mollior factus vrbanè rogat vt ab Gubernatore alium ſibi locũ dari petat, ego, reſpondit Pater omnino petere non poſſum, ſed ſi iuſſus fuero mox dimittam. A quo ſubdit ille,

iuberi

iuberi tibi vis? Ab Rege reſpondit Pater, aut ab rituum Præſide, aut ab Gubernatore, extra hos nemo eſt qui me adducet vt beneficia regia dimittam: næ homo tenax es! ait Eunuchus: eorũ qui ab occidente veniunt aduenæ, nemo ita loquitur, nemo tantum poteſt; ego, proſequitur ille, ſum inter Eunuchos Regij palatij non infimus, non ſemel ad Gubernatorem me contuli, nondum ad eius conſpectum ne-dum ad colloquium admiſſus ſum: audio verò quoties accedis Palatij tibi ianuas patere, cum eo colloqui, imo etiam conuiuari. Finito hoc duarum & ampliùs horarum colloquio, abijt ille hoc intra ſe muſſitans, næ ego luto vilior ſum ac puluere niſi rem hanc ad exitum pro arbitratu perduxero! hic cum Eunucho congreſſus, etſi non ſuſtulit omnem de villa controuerſiam, valuit tamen ad excludendas impoſterum importunorũ hominum inſolentias; ille ipſe cum die quadam non ita multo poſt ex itinere villam pertranſiſſet, non eſt paſſus à ſuis moleſtiæ quicquam inferri, imò inſultare parantes repreſſit. Verùm ad alia iuris auxilia conuerſus, effecit primum vt ad Gubernatorẽ nonnulli ſcriberent, qui primarios gerebant Magiſtratus; quibus Gubernator ex ſcripto Regis tribunaliſque rituum mandato, os obturabat. inde vbi hoc ſuccedere minus ſenſit libellum adornauit ipſi Gubernatori pro tribunali offerendum; eo in libello multis querebatur indigenarum bona alienigenis tradi,

qui patrios Deos aris ereptos, igni vel aquis erant abſumpturi. Eum libellum Eunuchi quidam minores in tribunal detulêre; qui multa muſſitantes, cum noſtros per ignominiam Saracenorum nomine compellaſſent (nam Europęi vultus ab ijs non admodum abſimiles, hanc nobis notam apud neſcios inuexêre) non ſolum à Gubernatore ſunt prohibiti, ſed cum is pro tribunali permulta cum noſtrorum laude dixiſſet, minimè eos eſſe ex eorum aduenarum aut potius barbarorum genere, qui hactenus in Sinicum regnum veniebant, & alia his ſimilia, adduci omnino non potuit vt eorum libellum admitteret. Itaque illi re infecta abiêre. Mox domum noſtram mittit, qui moneret vt interim dum ſeſe procellæ remittant tantiſper ab idolis loco mouendis ſibi noſtri temperarent, & maximè ab ea tabella in qua ſuper aram, Regis nomen aureis litteris expreſſum erat. Poſt hæc Gubernator ipſe rituumque Præſes, ſinguli ſuũ edictum ſupra limen domus erigendum exſcripſerunt & Gubernatoris quidem erat in hanc fere ſententiam: narrabat qua ratione Rex pro ſua inſigni clementia, quâ etiam remotiſſima quæque regna complectebatur, poſt varia ſuperiorum annorum in nos beneficia, nunc demũ velut ſui regni incolis, ea omnino munierit atque confirmarit hac recenti liberalitate, qua hunc Matthæi Ricij ſepulturæ ſociorumq; per-

petuæ

petuæ habitationi, locum dabat, vt in eo ritus legis noſtræ obſeruantes, Deum pro Regis eiusque Parentis vitæ & ſalute, proque pace ac regni proſperitate rogaremus. Sed quoniam verebatur ne forte quisquam nobis aliquid moleſtiæ inferret, vetabat ne vllus citra noſtrorum voluntatem eum locum ingrederetur, aut moleſtus eſſet; qui ſecus feciſſet, eum à vicorum excubijs vinciri, & ad ſuam tribunal deduci iubebat ſeueriſſime puniendum. Rituum præſidis erat in eandem ferè ſententiam. vtrumque hoc edictum non ſolùm hominum inſolentium petulantiam repreſſit, ſed magna ex parte Eunuchi competitores ſua ſpe deturbauit.

Sed tamen duas in hanc arcem expugnandam extremas machinas reſeruarunt. prior fuit primarij Eunuchi fauor. hoc tempore, quo ſe nemini Rex videndum præbet, in Eunuchorum manibus omnia ferè regni negotia ſunt poſita, è quibus vnus eſt qui Regi proximus, alter prope rex eſt: effecerunt competitores Eunuchi vt hic ad Gubernatorem ſchedulam mitteret, quâ ſuperbè nimis & impotenter eum inter cætera erroris arguebat, quod tam inſignem noſtris villam, Eunuchis ereptam, tradidiſſet. Quemlibet alium terruiſſet hæc ſchedula, verùm Gubernator & natura generoſus eſt, & iam diu grauiſſimos gerit Magiſtratus, itaque indignius ferens, in iram exarſit eique dixit qui ſchedulam

adferebat. Quis iſte ſcribendi modus? ne Rex ipſe quidem erroris me poteſt arguere. Itaque eum remiſit, Eunuchum nec reſponſo dignatus, ſolum exſcribi Regium diploma tribunaliſque rituum ad ſe mandatum, iuſſit; quæ vt vidit Eunuchus ille, die inſequenti alia ſchedula veniam demiſsè petijt, cauſatus regij diplomatis ignorationem. hæc ipſe Gubernator noſtris narrauit idemque non ita multo poſt ſuaſit, vt ad eum viſendum ſe noſtri conferrent, ſimul ad eum ferrent libros omnes, quos noſtri Sinicè in hũc diem ediderant, ſiue de re Chriſtiana virtutibuſq;, ſiue de Mathematicis diſciplinis: hæc in diem inſequentem comparata ſunt, ac ſimul perelegans Deiparæ effigies, gnomicum horologium eburneum, & alia nonnulla, quę ambo Patres ſecum detulerunt: admiſſi intra Eunuchi ſepta, dum congreſſum præſtolantur, Eunuchis alijs ſua munuſcula, videre cupientibus oſtendêre, quæ omnia, ſed maximeDeiparæ effigiem admirabantur. qua occaſione de fidei noſtræ rebus illatus ſermo. poſt diuturnam moram miſit qui renunciaret integrum nunc ſibi non eſſe, ſufficere ſui negotij rationem, quam ſcripto dederant, ſe legiſſe: verùm vrsêre Patres, vt aduenas è regionibus remotiſſimis, nunc primum ſe videre cupientes, ne reijceret, quo ille audito, admiſit Patres licentiatorum Sinenſium cultu indutos; quos ille cum nixos genibus, vt ferè

ſolet

ſolet reliquos, excipere pararet, conſedit; verùm Patres quos non decebat aliter cum hoc Eunucho, quàm cum ſummis agere Magiſtratibus, nihil ſe mouerunt, ſenſit ille quorſum hæc tergiuerſatio, & aſſurgens eo ritu eos excepit quo pares à paribus excipi, Sinico de more ſolent. Inde ſtantes ſermonem proſequuntur: querebantur Patres, ſe per Eunuchos quoſdam, regia liberalitate, Magiſtratuum auctoritate confirmata, pacifice frui hactenus minimè potuiſſe, petebantq; vti ſuam interponeret auctoritatē. Is primum ſchedulæ ad Gubernatorem miſſæ rationem dedit, ſe id regiæ voluntatis ignoratione feciſſe, poſt hac curaturum vti nemo ijs moleſtus eſſet; neque enim decebat ſummorum tribunalium ſtatuta, ex regia potiſſimum liberalitate orta, in dubium reuocare: ſuam proinde ſecuri domum incolerent, ſocium humo mandarent, regia regnique munificentia fruerentur: gratijs actis eum adducere minimè potuerunt vt aliquid allatorum munerum acciperet, omnia vidit atque laudauit, Deiparæ potiſſimum effigiem, ſed vt dixi accipere recuſauit, quod apud Sinas ſine vlla inurbanitatis nota fieri ſæpe aſſolet.

Altera, quam competitores admouerunt, machina fuit ipſa Regis parens, quam ideo in poſtremam aciem reſeruarunt, vt rei iam

quondam conclamatæ ſubuenirent. Regis parens, vt horum annalium initio dixi, vetula eſt, idolis addictiſſima, cui Eunuchus, qui hæc miſcebat, gratioſus in paucis. Ea igitur die quadam adita, queritur ereptum ſibi fanum idolorum, quod multis aureorum millibus æſtimaretur, datumque quibusdam aduenis qui cum idola non venerentur, ea vel aquis mox vel flammis abſumerent, rogabat igitur vnum vt verbum Regi ſuggereret. Verum illa ſic reſpondiſſe fertur: Eſto, pluris etiam quàm dicis æſtimetur, quid hoc ad Regis munificentiam? Apud Regẽ porro abs re eſt huius meminiſſe: quin adeò ſi de Eunucho reo, ille quem dicis, dato Regi libello queratur, actum eſt de eius vita. tacuit Eunuchus nec vltra inſtare auſus eſt, ibiq; ſpem ſimul artesque ſuas Eunuchi poſuère, qui tamen aliquo ſunt à nobis beneficio deliniti; nam cum ſaltem agri particulam quæ intermedio vico ab ea villa ſeparatur, repeterent. Noſtri ne nimis tenaces viderentur ex Gubernatoris conſilio, ea ſua ſponte ceſsêre.

Humani generis hoſtis cum ſatis ſciret quid hac re contra ſe pararetur, non ſolos, vt hanc rẽ diſturbarent armauit Eunuchos. Initio dixi cauſam hanc ad quæſturæ regiæ tribunal pertinere iudicatum, ad quod etiam delata, noſtrorum ope ad rituum tribunal fuerat auocata; hinc repente quietis iam omnibus, non leuis metus aſ-

ſurgit;

ſurgit; metum dixi, vix enim maius metu malum fuit; conſtitutis iam perfectisque omnibus, neceſſe omnino erat, vt ad illud tribunal rediret, quò domus hæc, regia nobis liberalitate donata, à Regio tributo quod priuatorum ædes pendunt, liberaretur; procuratum igitur vt è rituum tribunali, alterum quæſturæ regiæ tribunal ſciret, hoc regium eſſe munus; petitumque vt immunis is locus impoſterum declararetur atque tributorum tabulis expungeretur: res ad eum devenit cui prius fuerat erepta, ſenſeratq; auerſam ſibi ſpem alicuius lucelli, quo nomine paſſim malè audiebat: inſtituit ergo rem turbare, datis ad eum Gubernatorem inferiorem, qui locum conquiri iuſſerat, litteris publico ſui muneris ſigillo munitis, quibus iubet reſpondere, eccur noſtris adeò magnificas ædes aſſignaſſet? Non parum ea res perculit Gubernatorem illum, ergo ad Patrem è ſuis curialibus vnum, cum eo ſcripto mittit, petitque ecquid reſponderi velit? reſpondit Pater nihil eſſe quod reſponderet, ſe effecturum non ſolùm, vt reſponſum non peteretur, ſed etiam vt ſuum ſcriptum ipſe, qui miſerat, reuocaret. Ergo vt fidem exoluat contulit ſe Pater ad Gubernatorem ſummum, qui iam neſcio vnde rem auditam, ita grauatè ferebat, vt à contumelioſis nominibus in auctorem ſcripti abſtinere non potuerit, factusque eſt Patri auctor ad eum ipſum adire &

explicare, Regem noſtris, non ſepulturam ſolùm, ſed ædes quoque ad habitandum conceſſiſſe; quæ ſi magnificæ, at verò Rege dignæ, ſi nos indigni: Inſuper petente Patre vt hoc ſuum ſcriptum ipſe reuocaret; non parum miratus eſt ita confidenter hoc ab ſe peti, intulitque ſe die inſequenti pro tribunali ſeſſurum, ſi quid haberet, libellum daret. Abiens Pater, ad amicum noſtrum ſe contulit, eius contribulem, narrat rem totam, monetque vt auctor ſit amico ſuo, ne ſe vnus tot Magiſtratuum ſententijs in re iam facta opponeret, nihil inde emolumenti, mali fortaſſe non parum ſibi poſſe ab ijs offenſis accerſere: fecit is quod rogabatur ita accuratè, vt die inſequenti litteras quæſtor ille ad Patrem ſcriberet officij plenas, quibus ſe omnia ex eius voto facturum ſpondebat. Cum reſponſo miſit Pater leue rerum noſtrarum munuſculum, quod vt apparet omnia compoſuit, nam intra paucos dies, publicum illud ſcriptum publicè reuocauit, ædesque noſtras in perpetuum tributo regio exemit. Atque hic finis fuit huius rei, quæ multum ad Dei gloriam vt ſperamus aliquando valebit. Exin noſtri quietam nacti hæreditatem, ad agendas Regi gratias, ſolitis ritibus conceſsère, qui ritus cum idem ſint cum ijs quibus Patres initio, cùm in hanc aulam veniſſent, Regi de ſtipendio gratiam habuêre, nihil opus eſt repetere,
vniuer-

vniuerſa enim Sinicæ expeditionis hiſtoria, ad hæc vſque tempora vna cum his annalibus, vt ſpero in Europam appellet, lucemque aſpiciet. Hæc omnia iam tandem aliquando pacata, ſecuriora quoque ac firmiora reddita ſunt, tribus alijs diplomatis trium tribunalium. vnum fuit, alterius rituum Præſidis, qui nuper in recedentis locum ſuffectus, alterum ac tertium aliorum duorum tribunalium quæ quia in Europa inuſitata ſunt, uon nomino, ſed tamen in hac aula præ cæteris, ex ſeueritatis fama, terrorem incutiunt.

Vrbis quoque Gubernator nondum tot fauoribus contentur, ſua ſponte ſtatuit, Patrem Matthæum Ricium, & in eo noſtros ornare: nam ex Sinico more quem in his ipſis annalibus in Nanquinenſi reſidentia fuſius explico, miſit magno curialium ſuorum cõmitatu, feſtoque tympanorum ac tubarum concentu per nobiliores vrbis vicos, domum noſtram inſcriptionem quandam, cubitalibus litteris in inſigni quadro, quà opere quà pictura, quæ ad Patris Matthæi Ricij tumulum erigeretur, perpetuum tam amicitiæ monumentum quàm tanti viri ornamentum. Ea inſcriptio quatuor litteris (ita enim fere eſt in more poſitum) expreſſa erat in hunc modum: Mo y he yen: quod quatuor ſyllabis, dubiũ an breuius an ſignificantiùs hoc ſonat. Ad iuſtitiæ famá venienti,

libros,

libroſque celebres edenti. Et infra characteribus minoribus Matthæo Ricio è magno occidente, Hoam kie ſci (cognomen eſt nomenque eius, quod ab annalibus noſtris abeſſe non decebat) vrbis regiæ Pequinenſis Gubernator erexit.

Video nunc à nonnullis fortaſſe deſiderari topographicam loci delineationem; ſed melius eſt ſpectandam quàm legendam proponere, ex adiuncta tabella videri poteſt.

Locus tabellæ ſpectandæ.

Abeſt hæc villa ab vna, è portis vrbanis, octaua leucæ parte non tota, in agro amęniſſimo ſita, quem ideo ferè Eunuchi regij ſibi ad ſepulchra villasq; deſignant, opus eſt firmũ opere lateritio ſed polito perelegãter; columnæ omnes ligneę, more Sinico, neque enim ipſi lapideas in pretio habent; ne in regijs quidem Magiſtratuumque palatijs: ante annos triginta non amplius extrui cæpta, multam adhuc promittit ætatem. nihil attinet ſingula deſcribere ex ipſo pretio colligere licebit operis maieſtatem, ſupra quatuordecim aureorum millia extructori conſtitiſſe perhibetur: ſi hoc parum Europæis videbitur, apud Sinas theſaurus eſt. Ad extremum, percommodus eſt muſis locus, atque in eum ſcopum Magiſtratusq́ij, quorum fauore impetratus eſt collimarũt, vt eo in loco è noſtris aliquot ab vrbano tumultu ſemoti libros Europæos, idiomate Si-


nenſi

f. 140

PALATII SVBVRBANI ICHNOGRAPHIA

à Rege Sinarum Soc: IESV attributi Pequini Anno 1610.

Fuit olim hoc Palatium cuiuſdam Eunuchi è curia Proceribus præcipui, idemq; poſtea ab eodem in Idolorum Fanum commutatum: tum vero à Rege iure occupatum, et anno demum 1610. Monumento P. M. [illegible] Ricii à Societ. IESV aſsignatum ac reliquis [illegible] porticus, Aula, cubicula [illegible] fontium Arborum.



N. 2 Sex numero cubicula.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI



nenſi tranſcribat, quod à multis expetitur. Isq; mos ſtudiorum cauſa, velut in Tuſculum aliquod ſecedendi, frequentior eſt aliquanto Sinis quàm Europæis.

Sed iam tandem aliquando ad Patris Matthæi Ricij ſepulturam veniamus. Solent Sinæ defunctorum cadauera feretro incluſa, ſæpe in annos aliquot domi aſſeruare, dum ſepulturæ locus quæritur aut paratur, feretrum enim ſuo illo pellucido bitumine illitum, fætorem nullũ traſmittit. In quo P. Matthæi Ricij cadauer continebatur, integrum ferè annum, ab eius obitu in ſacello noſtro, ad aræ latus aſſeruabatur; iam autem nullo renitente ſecura villæ hæreditate adita, eò detulerunt ibi aſſeruandum, dum Eccleſiaſtico ritu cæmeterium & in eo ſacellum pararetur. non tamen delatum ea pompa, qua Sinæ aſſolent, quæ multo apparatu triumpho eſt quàm funeri ſimilior; quod iſtud neque noſtra tenuitas, neque religioſa modeſtia pateretur. delatum eſt, inquam, matutinis horis magnò Neophytorum comitatu, qui cereos manu geſtantes, crucem geſtatorio conopæo inſignem ſequebantur. Collocatum eſt in cubiculo quodam ad latus ſacelli domeſtici, Sinico apparatu ad excipiendos eos, qui defuncto ſolitos ritus exhibituri aduenirent: non ita multo poſt Pequinũ peruenit Pater Nicolaus Longobardus, ſuperior totius Miſſionis, in cuius aduentum ſocij, Patris

funus

funus diſtulerant. Eius auctoritate delineatum eſt mox primum in hoc regno cæmeterium, in extrema parte horti hexagonum ſacellulum extructum eſt, opere lateritio fornicatum: à lateribus è ſacellulo duo parietes egrediuntur in hemicyclicam fere figuram & tumulis noſtrorum deputatam aream complectuntur, in area media quatuor erant cypreſſi (nam etiam Sinis eius generis arbores funeſtæ ſunt) eas dudum plantatas diceres vt futurum Patris tumulum continerent, ibi effoſſa humo, feretro continendo locus extructus eſt, opere lateritio & Diuino conſilio factum eſt vt qui per vniuerſam vitam idola expugnarat, moriens ſecum ea ſepeliret: nam ex confracto idolo primario (vt mox dicam, cæmentum omne tumulo extruendo de induſtria confectum eſt,

Interim dum paratur ſepulturæ locus, idolorum quoq; fanum, in Chriſti ſeruatoris ædem conſecrandum, ſuis abominationibus expurgabatur. In aula primária erat ara ingens, è lapide latereq; pereleganter laqueato, rubens aram tingebat color ex more fanorũ (priuatas enim ædes hoc vti colore fas non eſt) ſuper mediam aram monſtrũ ingens ſedebat horrenda mole luteũ, ſed à capite ad calcem inauratũ. Id Sinæ Tí cám, vocant quod telluri theſaurisque præeſſe fabulantur; Pluto deniq; noſter eſt, manu ſceptrum, in capite coronam vtrumq; noſtrorũ regum inſigni-

ſignibus non abſimile geſtabat, vtrimq; ſtabant quaterni, eadem ex materia miniſtri, ad vtrumque aulæ latus poſitæ erãt duæ grandiores menſæ, ſingulæ quinos habebant inferni regulos. In vtroq; pariete picti viſebantur ijdem reguli pro tribunali conſidentes, qui reorum ſcelera pro ſuo quisq; foro, ſtygijs pœnis damnabant. ante eos ſtabant dæmones permulti terribiliores & figura & pœnarum inſtrumentis ijs ipſis, quos pingimus, nihil enim mirum ſi ſe ipſos ad viuũ effingere docuerint. Inferorum quoque pœnæ miſeros ita torquebant reos, vt viuis horrorem incuterent, nam alij in lecticis ferreis torrebantur, alij feruenti oleo frigebantur, alij in fruſta diſcerpebantur, alij medij ſecabantur, alij à canibus lacerabantur, alij pilis conterebantur, alij alijs tormentis excruciabantur. è regulis, primus ſcelera cognoſcebat, quæ illum in obiecto ſpeculo cernere fabulantur. Ab eo rei ad cætera tribunalia regulorum pro ſcelerum varietate dimittuntur. Præerat quoque vnus illis quorum crimina transmigratione plectuntur, nam ſæui in tygres, ſpurci in porcos, pro ſcelerum ſimilitudine demigrabant; Nonnulli etiam quorum leuiores erant culpæ, in pauperum ac plebeiorum ſortem tranſibant: toto enim hoc regno Pythagorica metempſychoſis mirè recepta eſt. Verùm enimuero hæc inferorum terriculamenta ita Dæmon compoſuit,

vt non ſolum ſceleratos non cohibeant ſed incitent; nam quàm horribilia pingit, tam facile vitari poſſe fingit, ſi ſceleribus addant maximũ idololatriæ ſcelus Erat prægrandis Bilanx, in altera lance homo ſceleribus onuſtus, in altera profanæ idolorum ſectæ, precum libellus, qui tot ſceleribus præponderabat ſuumque recitatorem pœnis eripiebat. Per medios inferorum fines cruciatusque fluebat horribili colore fluuius, quo plurimi rapiebantur, ſupra eum fluuiũ pontes erant duo, aureus alter, alter argenteus, per quos tranſibant ij, qui idolorum cultores inprimis fuerant, geſtabantque varia exhibiti cultus inſignia, ducibus profanis eorum miniſtris, quorum præſidio per medios inferorum cruciatus, demum deueniebant in lucos lætos & amœna vireta. Alia in parte depicta erant inferorum antra, flammis, ſerpentibus, dæmonijs horrenda, ad ahenas eorum portas accedebat idolorum miniſter, qui Matrem, inuitis dæmonibus flammis eripiebat; alia quoque viſebantur huiusmodi. Ita quas pœnas Deus Opt. maximus hominibus notas eſſe voluit ad ſceleratos eo metu à ſceleribus deterrendos, has ipſas impoſtor humanique generis hoſtis, adhibet ad homines in ipſa ſcelera concitandos, qui plus aliquanto ſibi ſuisque miniſtris licere voluit, quàm ipſemet harum pœnarum auctor iuſtus Deus; dum vel ſcelera ſine pœna permittit, vel

ê pœnis

è pœnis læuiſſima ex cauſa eripit. nullum enim apud inferos erat pœnæ genus, quod non haberet huiuſmodi inſcriptionem: Quiſquis talis idoli nomen millies inuocauerit, ab hoc pœnæ genere liber erit. ita euadendi facilitate, peccandi licentiam inuehit, vnoque verbo hanc falſæ religionis faciem oblitterat. Idola igitur à noſtris aræ detracta, lignea flammis exuſta, lutea in pulueres redacta ſunt, qua in re ſpectabiles ſeſe famuli domeſtici præbuêre, qui certatim in hanc idolorum carnificinam alter alterum ſuperare nitebantur, quam ad rem quoque ſpes eos alicuius lucelli prouocabat. Solent enim Sinæ vacuos idolorum ventres votiuis numiſmatibus, ac ſæpe gemmis farcire, quæ omnia ſibi famuli, velut harpaſtiludum in ſimulacrorũ anatomia exercentes, alter alteri præripere nitebantur: hæc idolorum opprobria tametſi nõ ignorata ſunt ab ijs ipſis villæ poſſeſſoribus, eorum tamen nemo ſe mouit, poſtquam ſpe recuperandi decidêre, ipſi enim hoc ſimulacrorũ Patrocinium ad ſua repetenda, non item ad ſua tuenda prætexebant, ara quoque ipſa diruta, parietum pictura calce incruſtata eſt, tum in recenti ara locus ſeruatoris imagini præparatus; eam vnus è noſtris fratribus in ea ipſa villa per eos dies perbellè pinxerat. Sedet in magnifico ſolio Chriſtus Dominus ac Redemptor noſter, vtrimque angeli ſuperne, Apoſtoli in-

ſernè eum velut docentem audiebant. His omnibus ita comparatis,in humando P. Matthęo Ricio,ædique conſecrandæ dies eadem dicitur, quæ Diuis omnibus ſacra eſt, pridie eius dici imago inauratis limbis incluſa,reſtituto Dei viui ac veri cultu, in ſimulacrorum locum erigitur, ipſo die omnes conuenêre Neophyti, cereis ſuis ſuffitibusque ad augendam celebritatẽ inſtructi,miſſa qua potuit pompa celebrata eſt, organo alijsque Muſicis inſtrumentis ſolemnis. Qua peracta, Patris feretrum è loco vbi aſſeruabatur in ædem delatum ceptumque recitari officium defunctorum, cui altera funebris miſſa ſucceſſit,hanc excepit breuis & appoſita cohortatio;tum ad ſepulturæ locum inſtituta Eccleſiaſtico ritu proceſſio, feretrum Neophyti primarij geſtabant,ceteri comitabantur, omnes complorabant. Cum ad ſepulturæ locum ventum eſt,feretrum è regione Hexagoni ſacelluli collocatum,in quo effigies alia Chriſti ſeruatoris fuerat quoque collocata; ad eam officium ſepulturæ celebratum, quo expleto feretrum in præparatum demittitur locum magno omnium doloris ſenſu; velut in communis parentis obitu, ſed potiſſimum Doctoris Pauli, qui præter eum quo nos remque Chriſtianam complectitur amore, non ſecus ac ſi in media Europa natus eſſet ac educatus, priuato Patrem ſemper fuerat proſecutus, multis lachrymis

chrymis magnum mærorem præ ſe tulit, nec ſe continuit vir in ſumma dignitate conſtitutus, quin funes ipſos quibus feretrum dimittebatur arriperet, nihil aliud reperiens quo ſuum cum amore mærorem teſtaretur. Expletis Eccleſiaſticis ritibus, Neophyti politicos ſuos minimè omisère. primùm ad Chriſti ſeruatoris imaginem, deinde ad tumulum ex more ſuas inclinationes ac genu flexiones perfecère, tum deinde noſtris pro honore ſibi exhibito gratias referentibus ipſi ad ſua redière, multos deinde dies inſequentes, amicorum Ethnicorum, ad ſolitos defuncto ritus exhibendos concurſus facti ſunt, pari ferè doloris ſenſu: quam ob cauſam, vnum eſt Patribus ibi ſubſiſtere, ad eos excipiendos neceſſe fuit. præter ædem publicam atque ſacellum funebre, priuatam Deiparæ aram, Patres alio in loco opportuno ex voto erexère. Nam initio cum hoc negotium ſuſceperunt, eo ſe ad impetrandum eius patrocinium obligarant. nec ſine numine factum eſſe videtur, vt quotquot id temporis inſigniores ex voto accidère ſucceſſus, omnes prope in aliquam ex eiuſdem celebritatibus inciderent. his omnibus ex ſententia procuratis, ſupra primarij liminis epiſtylium, appoſita eſt duobus Sinicis characteribus hæc inſcriptio, Regia munificentia, quod apud Sinas eſt perhonorificũ, & magis quã in Europa credi poſſit.

Inde ſenſim fama multos ad viſendum exciebat,cum ſumma approbatione; ſimulque adorato Deo, aliquam ſui conditoris notitiam ex imaginum conſpectu,noſtrorumque ea occaſione utentium colloquio referebant. atque hunc ea res finèm habuit,quam ſperamus magno rei Catholicæ adiumento futuram: Quanquam enim nondum eam ab Rege,quam optamus, liberam Euangelij propagandi facultatem habeamus; qui tamen nouerit, quot obſeratam clauibus huius regni tyrannidem, humani generis hoſtis occuparit,nonnihil hac re perfectum intelliget; & amplius fortaſſe, quàm retrò lapſis annorum triginta ſpatijs magna contentione fuerat impetratum. Neque ideò ſolùm, quod honorato huius expeditionis auctore,magnam inde ipſa expeditio capit firmitatem; ſed maximè quòd noſtrorum ſtatio, profeſſio,lex;Regi, Magiſtratibuſque non innotuit ſolum,ſed propè probata eſt. Cui enim non mirum videatur puperes aduenas ab Rege honorificâ ſepulturâ & habitatione donatos? quod in hoc regno ante hunc diem externo nulli contigit, cum rariſſimè,& non niſi ſummis Magiſtratibus ijsq; de Republicá optime meritis concedatur. Quis rurſus non ſtupeat eosdem in oculis non tantùm clariſſimæ ciuitatis,ſed prope totius regni, conſcio vniuerſo regis palatio,ipſaque regis Parente,approbante vniuerſo ſenatu Magiſtratuū,
idola

idola exuſiſſe,aram diruiſſe, & in eorum locum Chriſti ſeruatoris effigiem & virginis erexiſſe, ad aram,regis nomine,vt regiæ voluntatis teſtimonium exhiberet inſcripta, pro eiuſdem incolumitate preces iuſſos fundere? Deniq; quàm id è Diuino conſilio profectum fuerit, arbitror ex ipſa narratione conſtare, in qua tot in vno miraculo miracula leguntur, quæ nobiſcum qui huius regni iam ſenſa penetramus, ipſi noſtri Neophyti amici,Ethnici,aduerſarij denique ipſi aduerterunt; nam ſummos Magiſtratus nullo emolumento, nulla ſpe tam impensè fauere, contra ſuos ipſos collegas indigenasque obſiſtere; denique non niſi re confecta conquieſcere,non opis humanæ fuit aut induſtriæ, ſed eius,qui,vt cętera,ſic hominum corda nutu moderatur. Neque omittendum eſt,P. Matthæum Ricium,primum prope huius expeditionis auctorem primum quoque in hoc regno ſepulturæ locum ſibi inueniſſe,ac ſocijs aperuiſſe; nam qui hactenus in hac excolenda vinea diem obierant,tametſi intra regni Sinici fines, in Macaenſi tamen Collegio,vt ſupra dixi,communem ſociorum ſepulturam obtinuerant. nunc qui ſuperſtites ſumus,poſt vitam in Sinarum ſalute procuranda exactam. ipſum quoque cadauer in teſtimonium illis & gentibus relinquemus.

Venio nunc ad alterum è duobus,quæ promiſeram enarranda. Longo iam vſu compertũ

à noſtris quantum ad rem Chriſtianam promouendam hactenus valuerit, & impoſterum valituram ſit, omne ſcientiarum Europæarum genus; ſed vt nunc ſunt tempora, nihil magis his initijs, Sinis admirationem mouit, quàm Mathematicarum diſciplinarum Europæo more tradendarum ratio; nam licet ipſi vel olim à maioribus, vel à Mahometanis dum Sinis imperitarent, & nomina & libros & nonulla quoque inſtrumenta retinerent, nullam tamen ab ipſis fundamentis ſcientiæ certitudinem eruebant. Iamque ab ipſis primordijs, hanc cum Sinis agendi rationem tum reliquis Patribus, tum maxime Apoſtolico viro P. Matthæo Ricio Dominus inſpirauit, cuius ſuauis prouidentia non eundem cum omnibus gentibus ſeſe illis patefaciendi inijt modum. Initio noſtros in regiam vrbem admitti in eaque præter morem retineri ſtipendioque regio donari voluit, eius horologij opera, quod Regi oblatum eſt. Id hodieque tenet, & ne vetera repetam, hoc ipſo anno non ſemel In regium palatium euocati noſtri illius componendi cauſa, quæ res magnam vbique noſtris auctoritatem parit. Eunuchi, quoniam de ipſorum capite agitur, ſi quid præter morem in horarum diſpenſatione peccet, noſtros colunt, neceſſarios prædicant, ipſique Regi ſæpe commendant, quod maximum intelliget qui nouerit Regem nemini mortalium niſi Eunu-

chis

chis ſe viſendum dare, per quos, vnus erat Regi aditus, ad noſtros cognoſcendos. Ex hoc euztu, noſtri olim in ſua procedendi ratione confirmati, morem ſuum ſuperioribus his añis tenebant. Itaque priuatim in congreſſibus hæc viris grauiſſimis, (quos hac eſca illectos Chriſto ſæpe pariebant) vel libris etiam Sinicè ſcriptis tradere, nunquam intermiſerunt, præſtolantes dum hæc ſemina quæ nonnulli fortaſſe infrugifera credent, fructus ſuos darent. nec ſpes mentita eſt; hoc anno regio diplomate noſtri admiſſi ſunt ac rogati ad Sinicorum faſtorum errores emendandos, ſuoſque Mathematicarum diſciplinarum libros, Sinicè edendos; quod in hunc modum contigit.

Collegium eſt, in vtraque Regia, Mathematicorum regni nobile, penes Pequinenſes ius eſt faſtos edendi, dies faſtos ne faſtoſque præſcribendi, lunæ ſiderumque curſus metiendi, eorum defectiones prædicendi. Contigit hoc eodem anno illos in Ecclypſi lunari quadam prænuncianda turpiter errare. Error obſeruatus à quodam in dignitate non vulgari in aula conſtituto, Itaque dato Regi libello regios Mathematicos accuſauit erroris; quod illos ſane pupugit de ſuo ſtipendio ſolicitos, cuius imminutione negligentiæ culpam, ſi nihil grauius, erant ſubituri. idem accuſator

librum in Mathematicos edidit, quo errorem vnum non vno ipſe errore arguebat, nam ipſe quoque cum ea in Mathematica ſciret ſolùm quæ Sina nouit, nec fortaſſe vniuerſa, toto cælo de quo agebat aberrauit, itaque impoſterum totius regiæ fabula fuit; nec ideo tamen Mathematici immunes, nam regio diplomate ſunt multati: aduerſus eam ignominiam ſeſe impoſterum munientes, alium libellum obtulerunt, quo errorem quidem minimè inficiabantur, ſed culpam tamen auertebant, in regularum ſuarum defectus, erroris cauſam reijcientes, oſtendebant enim, ſe, à maioribus acceptam ineundi computi rationem ſequentes, à ſyderum curſu diſcrepare. eam itaque rationem denuo recudendam, alioqui annuos errores admiſſum iri. dum hæc in aula geruntur magna, vt in re noua fieri ſolet, expectatione; noſtri qui iam dudū Mathematici celebres habebantur, & ab accuſatore & à reis in conſilium adhibebantur, potiſſimum verò ab regijs Mathematicis rogabantur, vt hanc ſuorum faſtorum correctionem ſuſcipere, idque beneficij Sinico regno præſtare ne grauarentur; ſimul hortabantur vt libros quos de huiusmodi diſciplinis habebant, Sinicè legendos darent, ne cum ipſis tantum bonum interiret. quos ſe in ſuis bibliothecis honorificè habituros in monimentum æternum, magni occidentis Mathematicos, Sinenſes faſtos ad ſyderum

derum normam reduxiſſe, eamque normam in perpetuum vtendam dediſſe. Sensêre mox noſtri cæleſte conſilium, cuius nutu, cæli ab Sinarũ regulis hoc potiſſimum tempore diſcrepabant. reſpondere igitur, conſilij ſui non fuiſſe, dum ſpontanei à Patria exules per tot maria nauigarent, Mathematicas cuiquam diſciplinas tradere, has ab Europæis non niſi in otio tractari dum à maioribus animum remittunt. Se homines eſſe qui iam inde ab vltimo occaſu, ſecum vnius Dei legem veherent, quam votis omnibus quibus poſſent perſuadere expetebant, pluris ſibi ſemper fuiſſe cæli Dominum venerari, quàm cælorum curſus contemplari; verum enimuero cùm ſe in hoc regno viderent, tot officijs à maximo quoque coli, & recens ſepulturæ regiæ beneficio publico honorari, ingrati animi maculam nullis aquis eluere ſe poſſe, ſi quid tam bene merito de ſe regno, rogati maximè, facere detrectarent: ſe itaque paratos eſſe ad omnia; videri tamen hoc à ſuo inſtituto alienum, vt homines aduenæ, faſtorum regni errores corrigerent; niſi auctoritate regia ſuſciperent emendandos. hoc reſponſo mirè læti Mathematicorum primores cum ſummis Magiſtratibus agere, cumque Paulo noſtro, qui vnus noſtra omnia ſemper curat, cæpêre, perſuaſereque facile iam de noſtrorum peritiâ certis, vti regi libellum daret, Præſes eius Tribunalis quod publicis regni

ritibus præeſt, ſub cuius ditione non Mathematici minus quàm noſtri aduenarum nomine verſantur. Interim dum hæc aguntur noſtri in Sinenſium faſtorum errores, Duce Paulo noſtro penetrarunt. Eam rem aggreſſus eſt Pater Sabatinus de Vrſis, qui nuper inſignem inſtituit ea de re breuemque tractationem, eam latinitate donatam ad extremū huius domicilij aſcribam, quoniam ſcio Europæos ea delectatum iri & valebit non parum ad ingenia Sinica pernoſcenda, commouendosque multos vt ad hanc gentem erudiendam conuolent, intellecta Sinarum indole, cui verè dicam nihil deeſt, vt ſeſe noſtris æquet, niſi quod acutiſſimis ingenijs ipſæ ſcientiarum argutiæ defuerunt. nunc inſtitutam narrationem perſequor. cum iam Paulus noſter qui vnum ferè prius nouerat Patrem Matthæum Ricium, ac fortaſſe de ſociorum ſcientia ſubdubitabat, veritus ne quid aggrederentur, quod minus feliciter cederet; Cùm is, inquam, & ſuorum errores aperuiſſet (nam ipſe quoque non ſuæ minus quàm noſtræ Mathematicæ eſt peritus) & intellexiſſet in ſocijs librisque noſtris certiſſimam eſſe tollendorum errorum regulam; Mathematicis adiunctus effecit, vt ab eo, quod dixi, tribunali libellus daretur, quo libello etſi Pater Iacobus Pantoja & P. Sabatinus ab Vrſis ſoli nominabantur, quippe iam in aula noti Nagiſtratibus, appoſita
eſt

eſt tamen particula quæ reliquos ſocios omnes claudebat, vt ad omnes regio incluſos diplomate, tantæ rei fructus perueniret: præter noſtros ingerebant illi nonnullos alios qui apud Sinas aliquam in hoc genere famam habebant, ac potiſſimum duos, illum ſcilicet ipſum Mathematicorum accuſatorem, cuius tamen poſtea celebritas, patefactis libri erroribus extincta eſt, illeque ipſe poſtea morbo ſublatus. Alter erat ſenex quidam, qui publicos quondam geſſerat Magiſtratus, ſed ſua culpa excluſus, priuatus degebat: rogatus vt veniret, ægritudinem cauſatus, petijt ſuperbe ſane, mitti ad ſe aliquot, quibus ea quæ ſciebat è lecto prælegeret: excepta riſu eſt reſponſio, itaque tota res in noſtros recidit; his addebantur Noſtrorum rogatu Doctor Paulus & Doctor Leo Neophytorum noſtrorum lumina, à quibus in noſtrorum librorum in Sinicum ſermonem verſione iuuaremur; quorum vterque apud Sinas eloquentiæ opinione præcellit, & noſtram diſciplinam non parum callet. Libellus Regi ex more, datus, mox approbatus eſt; mirum quantum vbiq; nobis auctoritatis conciliarit regium diploma. nam cum reliquis, vt ſolet, à certis Notarijs deſcriptum celerrimè totum regnum peruaſit, ſic vt amici prius ad ſocios gratulatum veniręt, quàm ipſi ſociorũ id litteris accepiſſent. Nõnullis etiam in locis, publicè affixũ legebatur.

Solet

Solet poſt diploma regium, alius libellus dari, quo eius quod Rex iubet, exequendi modus proponitur, uti id etiam eius auctoritate comprobetur: eum quoque libellum dari opportebat. Mathematici cum viderent prima poſtulata feliciter ceſſiſſe, non negligendam rerum ſuarum occaſionem rati, hoc ſecundo libello abſona multa poſtulabant; nam & collegium ſuum innouari, inſtrumenta multa Mathematica parari, Magiſtratus etiam opimos quibusdam, qui in hac correctione laboraſſent, & ſimilia plura cõcedi poſtulabant; datus igitur libellus eſt ſed non redditus, quo Rex rem ſibi placere, modum diſplicere non obſcurè ſignificat; ea res ad noſtros nihil attinebat, itaque cum ſimilis libellus ſecundo ac tertio redditus eſſet nullo fructu, rogati ſunt noſtri, vt ex conceſſione primi diplomatis, libros noſtros Sinicos facerent, qui deinde paulatim, vt excuderētur, Regi tradi poſſent, eò gratiores futuri, quo appareret vno noſtros publici boni nomine Regisque voluntate, nulla lucri ſpe permoueri. Sed ne quid inſequentis anni decerpam annalibus, dicere de cæpto initio ſuperſedeo; ſolum dicam, incredibile eſſe, ad rei progreſſum quantum valuerit toto regno ſciri, noſtros ad rem, quæ apud Sinas pluris eſt, quàm apud aliam gentem vllam, ab Rege fuiſſe adhibitos. Fuit hæc è duobus alterum quod eſt ab Rege impetratum tanti faciendum, quanti preconum

conum Euangelij hoc in regno, ſtatio,qui ſi detineantur dum libri noſtri omnes Sinico ſe cultu induerint, (iam enim non Mathematica ſolum expetunt,ſed reliquas ſcientias noſtras volunt) certè aliquot ſecula labentur. Speramus autem nihil opus eſſe ſæculis, vt hæc tanta meſſis erumpat,matura eſt enim,paucæ illam nebulæ tegunt,quas cum diſcuſſerit Diuinæ miſerationis oculus, eam in ſua horrea congregabit: his enim diuinæ prouidentiæ pignoribus,magnam concipimus ſpem fore, vt tandem aliquãdo Dominus hanc incultam tot ſeculis vaſtitatem in horti concluſi partem admittat. neque decet nos hanc Diuinorum iudiciorum admirari tarditatem,cum videamus Eccleſiam eius aduentu plantatam,ſanguine rigatam, Apoſtolico ſpiritu & miraculis cultam, tam lenta tamen dediſſe incrementa, vt non niſi poſt trecentos annos, ad quam poſt triginta tantopere aſpiramus liberam Euangelij promulgandi, inuenerit facultatem. Non eſt noſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate,ſed erimus illi teſtes vſque ad vltimum terræ, illius autem erit incrementum dare. Viſus mihi ſum operæpretium facturus ſi curioſis Europæ lectoribus breui narratione faſtorum Sinenſium rationem erroreſque hoc loco ingeram, vt intelligatur quid à noſtris Sinæ corrigendum velint. Quare cùm auditum eſſet à Patre Franciſco

Paſio ſocietatis noſtræ viſitatore, faſtorum Sinenſium correctionem à Rege noſtris demandatam, ad Patrem Sabatinum de Vrſis, qui hanc rem maximè curabat ſcripſit, vti breuem de faſtis Sinenſibus, & qua in re peccarent tractationem inſtitueret, eamque ad ſe mitteret, ſcire ſe cupere quid à noſtris Rex exigeret. Eam tractationem è Luſitano ſermone latinitati donatam his añalibus inſero, ratus eam rem inſtituti mei limitibus comprehendi.

Ex Sinarum annalibus colligere licet eos à 3970. annis faſtorum, vulgo Calendarium vocamus, inijſſe rationem: initium huius rei cæpit imperante Yao Rege quem ipſi pro ſancto etiamnum venerantur: Is cum clientes ſuos repeririſſet peritos temporum fratres duos, Eorum alteri nomẽ Hi alteri Hô fuiſſe legitur, eis motuũ cæleſtium regulas vt ſcriberent mandauit: poſt hunc Regem annis bis mille iam elapſis, imperabat Sinis Xí Hoâm nomine, is anno regni ſui quarto ac trigeſimo, libros omnes incendi iuſſit, vetuitque quemquam litteris operam dare, ſolos de re medica, de Agricultura, deque Diuinandi & coniectandi arte libros flammis exemit. In hoc incendio quod ad hanc vſque diem Sinæ deplorant iam dictæ motuum cæleſtium regulæ periêre: ac tametſi etiam poſt hæc tempora motus hos ad numerum reducebant, aſſerunt tamen eius rei rationem ab ore peritorum exceptam,

exceptam, non è libris petitam; quæ ſupputandi ratio annos ferè centũ ac viginti tenuit. Quibus è lapſis Rex alius Vû tí, nomine, accuratè diſquiri iuſſit, ecqui libri publicum incendium euaſiſſent, à litteratis hominibus clam erepti. Vix vllos defuiſſe ſcribitur, nã parietibus inſertos aut altè in arcis defoſſos conſeruarant. Inter eos faſti illi faſtorumque ratio reperitur, qua denuo in vſum recepta Sinæ vtebantur.

Sinæ cum de rebus Mathematicis agunt eas diſciplinas bipartito patiuntur, alias thien ven vocant alias lie fa. thien ven cælorum ornatum ſonat, deque iudiciaria ſolum agit. Lie fa. ordinis regulam innuit, eaque omnia quæ nos ex Aſtrologia practica & theorica in telligimus comprehendit. Iudiciaria Sinarum legibus interdicitur; ad ſolos è Collegio regio Mathematicos ex officio ſpectat. Aſtrologiæ operã dare permiſſum omnibus; hinc fit vt à noſtris multi permulta didicerint; maximè Doctores Paulus ac Leo, illuſtriores huius Eccleſiæ Neophyti: ad eosdem tamen Mathematicos ſpectat vtrumq; ex officio, cuius Magiſtratus aliud nihil curant, quam Eclypſium momenta prædicere, annuos faſtos edere, noctu interdiuque cælum contemplari, ſi quid fortè noui in eo appareat, vt eius rei Regem admoneant, & quid boni vel mali portendatur enuncient: grauibus pænis interdicitur ne quis præter eos Mathematicos faſtos edat, aut cæleſtium prodigiorum

libris publicè ſcriptis, rationem reddat; nam priuatim ſibique ſidera contemplari nemini nō licet. Horum Mathematicorum toto regno duo non amplius collegia viſuntur, alterum eſt in aula Nanquinenſi, alterum in Pequinenſi. Ea dignitas eſt Magiſtratuum non infimorum, à Rege ſtipendia recipiunt ipſique hæreditario quidem iure, ſed tamen eliguntur; nam priuſquam in parentam dignitatem admittantur, examinari eos eſt neceſſe. Has faſtorum regulas quibus hodieque illi vtuntur, quanquam ab initio à fratribus illis acceptas, tamen ferunt quinquies ſupra quinquagies concinnatos; & quidē ante annos trecentos poſtremam illam cenſuram leguntur ſubijſſe, quo tempore Nobilem Mathematicum apud Sinas vixiſſe ferunt Có xeú kim nomine, quo tempore Tartari Sinenſe Imperium obtinebant ipſeque Rex guên Tartarus dicebatur.

Præter hanc faſtorum rationem quæ Sinarum eſt propria, & quam illi tantopere ſuſpiciunt; aliam à Mahometanis acceperunt; eaque Sinicis litteris legi cæpit ante annos 230. quo tēpore Hûm vù regnabat, qui è vili cœnobij culina ſe ipſum ad Imperium Sinenſe, pulſis toto regno Tartaris euexit, isq; eſt eius familiæ quæ hodie imperat caput. Hanc porro faſtorum ſupputandorum rationem in hunc modum Sinæ ab Mahometanis acceperunt. Quo tempore

Nobilis

Nobilis ille, quem modo dixi, Mathematicus imperabat, hoc regnum Mahometani nonnulli ab occaſu ingreſſi ſunt, ij Regi Tartaro libros complures qui de planetarum theorica atque practica cognitione tractabant, obtulêre, hos libros accepit Rex quidem, ſed quoniam Sinenſis ille Mathematicus ijs vti noluit, in Sinicum eo tempore ſermonem non tranſierunt, ſed tamen in bibliotheca Regia remanſerunt. Eos hûm vû cum reperiſſet, idemque omnis litteraturæ eſſet auidiſſimus, cuperetque Sinenſes faſtos emendare; iuſſit eos è Perſiano ſermone Sinicis characteribus legi, quo in opere, cum nonnullis Mahometanis qui plurimi toto regno reperiebantur, hodieque reperiuntur, duo è Regio litteratorum Collegio, quod hán lin yuén vocāt inſudarunt, quo in Collegio litteratorum Sinenſium columina commorantur, in eoque hodie Paulus noſter non infimo eſt loco: ſed quoniam illi ipſi qui hos libros detulerunt, in hoc opus incumbere minimè potuerant, iam enim anni prope ſeptuaginta lapſi erant, ij ſolum qui de planetarum praxi tractabant, Sinico ſermone prodierunt; theoricæ tractatus alijque de rebus Mathematicis nonnulli, ſine vſu remanſêre, & in hæc vſque tempora in bibliotheca Regia conſeruantur. itaque Sinæ nec ab ſuis, nec ab externis quicquam habent ſiue de planetarum theorica ſiue de qualibet alia diſciplinarū

Mathematicarum parte; quod ab ipſis fundamentis notam eruat veritatem. Vnde ipſi Regij nunc Mathematici nihil aliud norunt niſi Eclipſes ſupputare & nugas quasdam è iudiciaria petitas pronunciare: viſis ergo libris noſtris, quos Pater Matthęus Ricius Sinicos fecerat, nihil mirum eſt ab hominibus ſciendi cupidiſſimis ijsdéq; acutiſſimis eos exoptari. Mahometanorum libri quantumuis in Sinicam translati linguam, Sinenſes faſtos nihil emendarunt. Mahometanorum Mathematicorum Collegium à Rege excitatum; etiamnum viget, in quo eclipſes ex proprijs eorum regulis ſupputantur; eaque omnia fiunt quæ ab Sinis Mathematicis fieri iam dicta ſunt.

De Anno Sinico.

Annus apud Sinas lunaris eſt, qualem olim Hebræis in vſu fuiſſe legimus: curſum ſcilicet Lunæ cum Solis motu quoad fieri poteſt componunt. Itaque anni ſunt menſium aut potius lunarum duodecim, niſi quod bis quinto ferè quoque anno intercalarem lunarum tredecim interſerant. Et quoniam hos interſe Principum planetarum motus in annos ſingulos computant, & vtrumque inter ſe componunt, hinc fit vt in Calendarij Sinenſis correctione, nihil opus ſit cyclo illo decennali, quo Ægyptij & Arabes vtebantur, aut alio

quóli-

quolibet artificio, ad ſolis motum cum lunæ curſu componendum, nam vnius horæ ac viginti octo minutorum ex Alphonſinis tabulis anticipatio, quæ nouilunia numero aureo Europæo inſerit, ab ipſis in annua ſupputatione continetur, quod vt facilius intelligatur & alia quędam ex infra dicendis, aduertendum eſt Sinas nec habere, ſed nec habere velle Calendarium perpetum; verum in annos ſingulos nouum cudunt in dies ſingulos; idque typis mandant, & in vniuerſi regni fines amandant. ſumptus in eam rem ex ærario regio ſuppeditatur, qui tametſi multis aureorum millibus conſtet, habetur tamen non malę collocatus neque vllo modo adduci ſe ſinunt vt faſtos velint habere perpetuos.

De Menſe, die, hora.

Cum lunaris Menſis ſit dierum viginti nouem, & horis duodecim & min utis quadraginta quatuor excedat hos dies, ideo Sinæ menſem alterum triginta dierum circulis, quem magnum vocant, alterum nouem ac viginti, quem paruum dicunt, definire ſolent. Dies, quem naturalem Aſtrologi vocant, à media nocte in mediam noctem inſequentem Sinis eſt vſu receptus; ſed eum

non vigintiquatuor horarum ſpatia,ſed in duodecim, æqualia tamen, partiuntur,cuique horæ quadrantes octo cum aliquot minutis aſſignantes: non enim ipſi diem naturalem in nonaginta ſex quadrantes, vt Europæi,ſed in centum partiuntur, vnde fit vt horæ noſtrates cum Sinenſibus Mathematicè non reſpondeant præter ſextam ac duodecimam diei noctisúe horam: quadrantes deinde ſingulos in centum minuta diſtribuunt,ſingula verò minuta,in ſecunda cẽtum,atque ita deinceps: hac igitur in parte,opus eſt diſcrimen horarum Europæarum, ac Sinenſium Mathematicè definire,vt in motuum cæleſtium ſupputatione ex hoc diſcrimine nullus error incurratur.

De Anni Sinenſis principio.

Sinæ ad anni ſui initium hoc obſeruant. fingunt ſibi circa polum vel centrum, circulum quendam magnum, qualis eſt is, quem noſtri ſemper apparentem vocant. Hunc circulum in partes duodecim horas partiuntur; qui circulus cum ab ijs fingatur immobilis,horas in eodem ſemper loco conſiſtere neceſſe eſt, videlicet medius dies ſurſum, media nox deorſum, ſexta matutina in ortu, eadem veſpertina in occaſu,è quibus reliquas facile eſt colligere: In his horarum portionibus tres ipſis, neſcio qua ex cauſa, pro illuſtrioribus habentur, media nox quam

quam Eù vocant, ſecunda poſt mediam noctẽ, quæ Cheù dicitur, & quarta, quam ym appellant. pro horarum varietate tribus modis varijs temporibus annum accepêre. Alij ab hora in qua cælum conditum fabulantur, anni initium ſumpsêre; eam fuiſſe mediam noctem, neſcio quo auctore fingunt. itaque quo tempore regia Cheú familia imperauit, obſeruabant, cuius menſis initio, vrſæ maioris ſtellæ, quæ in cauda ſunt, ſub ſolis occaſum in mediæ noctis hora voluerentur, & ab eo menſe annum inchoabant. quo vero tempore Xam̃ familia regnabat, ab hora, qua terram conditam commenti ſunt, videlicet ſecunda poſt mediam noctem, annum accipere maluerunt, eadem circa ſtellas obſeruantes, mutata dumtaxat mediæ noctis hora in ſecundam à media nocte, denique quo tempore familia Hia rerũ potiebatur, eam horam elegêrunt, in qua hominem conditum ſomniarunt, quam ipſi quartam è media nocte eſſe volunt, eadem ſemper obſeruantes. itaque qui annuos Sinarum faſtos conſignant, in cuiusque Menſis initio, duos characteres locant, alterum anni, alterum horæ aſſcribentes, hic menſis huic horæ reſpondet; initio tamẽ primi menſis ſemper eum characterem ym appingunt, qui quartam à media nocte horam notat. hoc tempore menſis apud Sinas primus, in Februarium noſtrum incidit, in hunc modum ſignum in Zodiaco aſ-

ſcribunt,quod Lie ſchũn vocant,ac ſi dicas; ver aſſurgit, quod ſignum ab æquinoctio verno, ſeſquimenſe diſtat, & hoc ſignum in quintum Februarij noſtri cadit: nouilunium igitur illud, quod huic eſt ſigno proximum id pro anni principio ſtatuerunt. Quod circa hoc ſtatui bene poſſit,eſt obſeruare,exactè hoc tempore quinto Februarij in ſolis occaſu,qua in cæli regione dictæ vrſæ maioris ſtellæ collocentur: tametſi certum eſt Sinas nihil immutaturos circa ſui anni inchoandi rationem,licet ſtellæ illę nō eum hodie tenere locum reperiantur quem ipſi fingũt.

De Epacta & aureo numero.

Sinæ quod Calendarium annuum conficiunt,in eoque planetarum motus in dies ſingulos apponant,nihil indigent Epacta, nec vllus erit illius vſus in Calendarij Sinenſis correctione, quam à nobis exigunt. idem de aureo numero dicere licet: quia tamen aliquid aureo numero non abſimile in vſu habent id attingam. Habent characteres decem, quos anni characteres vocant, horarum verò duodecim, totidem habent characteres, neque enim illi horis ſuis numerorum nomina impoſuère; ſed horæ ſingulæ proprias habent notas. has vel anni vel horarum characteres inter ſe conferunt in hunc modum. Primum anni characterem, cum primo horarum charactere componunt, ijque duo chara-

characteres anno primo, nomen imponunt, atque ita deinceps ad annum vſque ſexageſimum, quo anno omnis horum characterum interſe collatio exhauritur, vt nullus ſit qui non ſemel collatus reperiatur; quod ſpatium annorum 60. ipſi velut pro ſæculo habent, quo elapſo ab initio eandem inter ſe characterum coniunctionem denuo ordiuntur. Id etſi ad ſæculorum rationem ineundam intricatum videatur, exercitatis tamen eſt facile, maximè quòd ex regum periodis facile norunt, quod ſæculum prius, quod poſterius numeretur. Characterum vſus, non ſolum annis nomen imponit, verum etiam illis ipſis ipſi annorum dies appellantur, primū diem prima compoſitione innuentes, ijsque poſt ſexaginta exhauſtis, toties in circulum redeunt, donec annus euoluatur: Idem quoque ab ijs circa ipſas horas tametſi proprio charactere non careant, obſeruatur, qua in re arcana quædā latere ſibi alijsque perſuadent.

De Cyclo ſolari & littera Dominicali.

Idem de Cyclo ſolari ac littera Dominicali dicere poſſumus, quod modo de Epacta, Numeroq; Aureo diximus, eos hæc quidem non habere, ſed eorum loco nonnulla affinia. Sinæ conſtellationes numerant octo & viginti, quæ ſingulæ propriū habent characterē, hi quoq; characteres ſinguli cum ſingulis planetis componuntur,

planetæ ergo cum ſeptem ſint, ſinguli quatuor habent ſibi addictos characteres, quod ad amuſſim reſpondet numero noſtri Cycli ſolaris: nam quoniam ſingulis hebdomadæ diebus, vnam ex his conſtellationibus cum planetarum vno cõponunt, hinc fit vt quatuor illi conſtellationum characteres qui ſoli ſunt addicti, perpetuo in diem dominicum incidant, quatuor lunæ, in ſecundam feriam, martis in tertiam atque ita deinceps. dixi perpetuo: nam cum apud Sinas intercalaris dies nullus inſeratur, ipſæque conſtellationes ſint quaternæ, & euoluto conſtellationum numero à capite ex integro inchoetur à prima, ipſi quoque hebdomadarum dies perpetuo pro numero planetarum ſeptem numerentur: hinc fit vt illi quatuor characteres conſtellationum, ſingulis addicti planetis, in vnum eundemque ſemper incidant diem. Hi porro characteres cum in dies ſingulos in faſtis Sinenſibus appicti reperiantur, fit vt neophyti, ſi quatuor norint ſoli addictos characteres, quos ipſi Sim̃ ſana hiũ mào, vocant, nullo negotio ex ſuis ipſorum faſtis dominicum diem explorent, quo in ædem ſacram ſibi conueniendum ſciant. Non eadem eſt ratio Eccleſiaſticarum celebritatum, quas ipſi ex priuatis, quos in Neophytorum gratiam cudimus, faſtis explorant. Itaque quoniam Sinæ faſtos ſuos in ſingulos annos recudunt, nihil opus erit in ijs corrigendis ſupra commemoratis,

ratis,in quibus fortaſſe magnam partem Calendarij ſub Gregorio Pontifice emendandi, difficultas poſita videbatur.

De quibusdam alijs quæ in Calendario Sinico reperiuntur.

Præter ea quæ nunc dixi de Calendario Sinico, alia habent ad eum modum quo in noſtris faſtis nonnulla prædicuntur aut præſcribuntur. Sed magnum eſt inter faſtos vtrosque diſcrimen; quæ enim Sinæ præſcribunt nullam habent dictorum cauſam effectricem; & tamen ijs ita omnes minimi, maximi adhærent, eaque ad amuſſim exequuntur, vt qui ſibi perſuadeant hinc negotiorum omnium pendere ſucceſſus. Quæ præſcribunt, in hanc fere ſententiam fiunt, tali die ſacrificari poteſt, Rex beneficentiam poteſt exercere, poſſunt morbis adhiberi remedia, inſtrui conuiuia, corpus ablui, iter inſtitui, ædes mutari, terra coli, coniugia iniri, columnæ erigi, & ædium culmina, arbores conſeri, famuli elocari vel emi, ſtudia aperiri, putei effodi, & alia in hunc modum friuola ſexcenta, tametſi non omnia omni die vel præſcribunt vel prohibent, ſed modo terna, modo quaterna, modo plura, modo nihil. Hæ obſeruationes, tametſi vt dixi nullam habent vim effectricem, à Ma-

 thema-

thematicis tamen regijs in hunc modum obſeruantur: cum anni, horarum, conſtellationũque characteribus elementa ſua componunt, elementa porro à Sinis quinque numerantur hoc ordine, metalla, ligna, aqua, ignis, terra; nullam aëris mentionem faciunt cum ijsdem planetas conferunt, & ex eorum proprietatibus (in quibus dignoſcendis propè fuêre tam infelices, quàm in elementis numerandis) hæc omnia cõiectant, in quo omnis Sinarum iudiciaria coniectandique ratio, Philoſophia propè naturalis, arsque medica vniuerſa conſiſtit: nam in his omnibus Sinæ nihil admodum inſigne ſunt aſſecuti, tota eorum præſtantia in morali philoſophia, dicendique facultate vertitur. Ad hæc in eodem Calendario, infra primum cuiusque menſis diem aſcribitur, qua hora, quo quadrante nouilunia inchoentur idem de plenilunijs ac lunæ quadrantibus, idem de æquinoctijs, ſolſtitijs ac ſingulis Zodiaci ſignis intellige. dierum quoque longitudines, ortus, occaſusque termini, planetarum ſingulorum gradus, ſuo omnia tempore adſcribuntur.

De Zodiaco eiusque diſtributione apud Sinas.

Æquatorem Sinæ norunt atq; zodiacum ſed proprietates eiusq; vſum ignorant. Solum aſſerunt ſolē ſemper in medio Zodiaco volui; Lunę

vero

vero ſemitas nouem deſignant,& earum quamlibet proprio compellant nomine, quarum ſemitarum varietatem inde ſumunt, quod luna Eccliptticam ingredi vel egredi aduertatur, ſiue ad Aquilonem vel Auſtrum, ſiue ad ortum vel occaſum in his ſemitis 363. loca eclipſium quæ cõtingere poſſunt aſſignant, & ex his ſuam ſupputandi rationem moderantur. Æquatoris diuidendi nuſquam meminerunt,ſed Zodiacum tamen in 365.gradus,& minuta 24. partiuntur pro dierum ſolarium numero,ad amuſſim, hos porro gradus in viginti quatuor partes æquales diſtribuunt, quæ ſigna vocant, cuique ſigno dies quindecim,& quadrantes horũ 21. cum minutis 84. Atque ita,ex eo quod Augem ignorant,ſolareſq; excentricos,aut concentricos qui ſunt cauſa motus in Zodiaco inæqualis,dierum diſtributionem inſtituunt,ita vt reſpondeant 30. gradibus primi mobilis,etiam inæqualis, Sinarum in Zodiaco ſigna ſignis Europæis reſpondere non poſſunt,nec ipſi dies quibus ipſa ſigna ſol ingreditur,præter quatuor puncta æquinoctiorum ac ſolſtitiorum, quæ tantum à noſtris diſcrepant, quantus eſt error , quem corrigi poſtulant. Graduum diuiſio eſt,qualis ſupra dixi, in centum minuta, minutorum in centum ſecunda, atque ita deinceps; atque ita numerum graduum ac minutorum Sinenſium in motibus planetarum aliorumque corporum cæleſtium

ſuppu-

ſupputandis neceſſe eſt ab Europæa numerandi ratione diſcrepare.

De Cælis eorumque motibus apud Sinas.

Apud Sinas vulgo cæli nouem numerantur, in eorum tamen Ephemeridibus horum nulla eſt mentio. Excentricos, concentricos Epicyclos planè ignorant; proprium planetarum motum ab occaſu in ortum nec audierunt, denique cætera ab Sinis phænomena, quæ Europæi obſeruant ignorantur: & ſpeciatim parallaxim ſiue aſpectus varietatem, ita rebus aſtrologicis neceſſariam, multò magis refractionem, planè neſciunt: hoc ſolum quod ſequitur ſunt aſſecuti. determinant in vniuerſum, & motum quendam imaginantur, qui ſpatium ſit, ſecundum ſuas regulas, quod futurum eſt ab hyberno ſolſtitio ad alterum, illi enim ab hyberno ſolſtitio ſua dirigunt, & hoc ſpatium propriè idem eſt cum eo, quod Europæi ſpatium anni vocant: & quoniam diem in centum quadrantes, quadrantem in centum minuta diſtribuunt, fit vt dies, minutorũ decem millia numeret, aſſeruntq; dictum illum motum tribus minutorum millionibus, vt Arithmetici vocant, ſexcentis quinquaginta duobus millibus, quingentis ac ſeptuaginta quinque minutis contineri. Planetarum deinde

deinde motus habent etiam definitos atque ita ſua omnia metiuntur: motus, quem ſcli aſſignant, tribus millionibus ſexcentis quinquaginta duobus millibus, quadringentis vigintiquinque minutis definitur. hactenus in hunc modum ſupputarunt, nihil aduertentes vtrum planetarũ motus ita varius, annui ſpatij ſit in eodem, an diuerſis cælis, nec meminerunt vnde velocitas eorum tarditasque naſcatur; ceteras etiam planetarum proprietates omnino ignorant, cum vt ſupra diximus præter ſupputationum tabulas, ad defininiendas Eclipſes motuſque planetarũ, nullos alios libros habuerint ad noſtra vſque tempora.

Quæ ratione Sinæ Calendarium ſuum emendent.

Ex eo quod nullam planetarum theoriam norint, ſed ſolùm eas quas nunc dicebamus ſupputationum tabulas, fit vt nulla neque arte, neque lege errores motuum cæleſtium ad veritatis normam poſſint redigere, qua in re faſtorum Sinenſium reformatio poſita eſt; ſed tamen hoc practicè faciunt in hunc modum: ſtylum ingentem ad perpendiculum erigunt altum octo paſſibus, eumque in gradus ac minuta diſtribuunt, deinde triduo ante ſolſtitium hybernum (à quo ipſi ſuas omnes obſeruationes inchoant,

vt Eu-

vt Europæi ab æquinoctio verno) quotidie vmbram notant, eiusque gradus ac minuta, idem faciunt poſt ſolſtitium triduo, atque ita ex vtriſque vmbris facile intelligunt quo ſex illorum die, qua hora, quo quadrante ſolſtitium reuera fuerit, id in varijs regni partibus factitant in tribus quatuorue ſolſtitijs nihil tempori vel ſumptui parcentes, in eoque negotio maximi vrbis regiæ Magiſtratus occupantur: Et hoc præcipuum eſt huius correctionis opus, nam reliquum tempus in æquandis planetarum motibus iuxta factam correctionem terunt, inque contemplandis è colle ſideribus, in quo inſtrumenta Mathematica, ſanè magnifica viſuntur.

In annalibus eorum legitur faſtorum *Sinenſium* vt initio dixi correctionem quinquies ſupra quinquagies factam; ſed celeberrima fuiſſe fertur ea, quæ ante trecentos annos à Nobili illo Sinarum Mathematico inſtituta eſt, qui non ſolùm ſolſtitium hybernum definiuit, ſed locorum altitudines, quas Sinæ vix norant determinauit: & quoniam Rex eo tempore Tartarus, Sinis Imperabat, ferunt eum in Tartariam ad ſexaginta ſeptem eleuati poli gradus penetraſſe, ex parte verò auſtrali ad decimum nonum, ad ortum quoque & occaſum eum peregrinatum fuiſſe, hacque in re annos ſedecim triuiſſe, cauſa verò cur hanc correctionem ſui Calendarij Sinæ tanti æſtiment hæc eſt: in die-

in dierum electione, negotiorum quæ aggrediuntur proſperos aut aduerſos euentus ſitos eſſe arbitrantur, ſi faſti eorum à motuum cæleſtium curſibus aberrarint, fieri poterit vt is dies quem faſti deſignant reuera ſit alias, isque fortaſſe pro fortunato ſit infelix, & pro faſto nefaſtus; quod ſi contigerit, regnum vniuerſum neceſſe eſt perturbari: hinc videri poteſt quanti noſtros faciant, qui rem tanti à ſe æſtimatam credere externis non dubitarint; & fortaſſe Dominus hanc noſtris occaſionem ingeſſit, vt hanc dierum electionem vanam eſſe perſuadeant.

De erroribus faſtorum Sinenſium quos emendari neceſſe eſt.

Quapropter cùm careant Epacta, numero Aureo, Cyclo ſolari & alijs quæ in Calendario noſtro reperiuntur, fit vt tota faſtorum Sinenſium corrigendorum difficultas, in duobus ſita ſit; Alterum eſt in præceſſione æquinoctiorum, quam Sinæ Sui cha vocant, id eſt, error anni, alterum in motibus planetarum probè cognoſcendis, ad Eclipſium ſupputationem. Præceſſionis æquinoctiorum meminerunt Sinæ, non quia aſſerant octauam ſphæram motu trepidationis ferri, vel quod præter primi mobilis curſum, quo rapitur, alio proprio ac repugnante feratur, ſed hanc

tamen diei varietatem obſeruarunt ſolum in æquinoctio hyberno; atque ita ferunt quo tempore Hán vù tí Rex imperabat 24. gradibus ſolem variaſſe à tempore primi Regis, ad ea vſque tempora, quod fuit annorum bis mille. De hac varietate cum loquuntur, aſſerunt ſtellas non moueri, ſed ſolſtitium. atque ita ſolſtitium eſt in tali conſtellationis gradu, & aliàs in alio cum continua varietate; nec vllam rationem vltra inquirunt. Itaque cum regnaret yu hi Rex, ex eius mandato hanc varietatem componere aggreſſi, ſtatuerunt annorum 55. decurſu, vno gradu diſcrepare, alij centum annos exigebant, alij ſeptuaginta quinque, alij octoginta tres. Denique ſtatuit ille Sinenſium Mathematicorum Princeps, annos ſexaginta ſex, iuxta quam opinionem ad hanc vſque diem ſua moderantur. Habent etiam Sinæ motus planetarum, ſed præter æquinoctiorum præceſſionem, qua carent, illæ ipſæ motuum tabulæ, à veris planetarum motibus aberrant, atque ita in omnibus ferè prędicendis Eclipſibus, tribus quatuorúe quadrantibus hallucinantur; hic error ſoli aſpectuum diuerſitati attribui minimè poteſt. In ſuis etiam libris (etſi de aſpectuum diuerſitate nullus ſermo) hanc regulam legunt. Si Eclipſis ſolaris antemeridiana fuerit, de numero detrahe, ſi pomeridiana, numero adde, nec amplius dicunt, aut eius rei cauſam Mathematici norunt,

ſolum

ſolum dicunt ſe tabulas habere, tabularum fundamenta ignorare. Non eſt tamen nec Regioru͂ Mathematicorum nec noſter ſcopus, è noſtris tabulis Sinicas emendare, quod eſt perdifficile, propter variam minutorum Sinenſium ſupputationem, quam ad calculos noſtros redigere laborioſum eſt, & quod ipſi Mathematici longè noſtram præferant minutorum partitionem. Noſter ergo ſcopus eſt, Sinenſibus tabulis repudiatis noſtras ſubſtituere, & ex earum præſcripto faſtos Sinenſes definire: verum & noſter Paulus Regijque Mathematici ac Magiſtratus prope omnes, libros noſtros Mathematicos volunt, è quibus iam norunt præclara multa erui, ad reipublicæ vtilitatem regnique ſui maieſtatem, quanquam nec hos ſolum libros volunt, ſed omne ſcientiarum Europæarum genus, omnes obuijs vlnis complectuntur.

Reſidentia Nanqui-nenſis.

IN hac altera Imperij Sinenſis Regia, ſacerdos vnus P. Alfonſus Vagnonus Italus, cum duobus fratribus adiutoribus magnam anni partem reſedit, his porro Diuina bonitas & vires & animum dedit non ad vſitata ſolùm ſocietatis noſtræ miniſteria, ſed etiam ad inſolitos labores, quos ſecum noui Templi ędificatio adduxit. fertilis hic annus fuit fruge Chriſtiana ac rebus bene geſtis præclarus. Hæc omnia videor mihi aptè ad tria capita contracturus; ſi primum dixero quos hæc vinea fructus fidei virtutiſque dederit; mox quàm opportunis auxilijs ab eo qui ſe agricolam vocat è cælo ſit irrigata; ac denique ſi templi, velut torcularis in hac vinea, extructionem delineauero, in qua extructione vtrimque Deus ac homines videntur officijs ſibi proprijs decertaſſe.

Primum igitur dum hoc nouale excolitur, palmites inſerti ſupra octuaginta, qui ſi numerus exiguus videtur & infra vota, hanc noſtram auiditatē Dei nutu temperemus, memores prophetìcè dictū: Bene patientes erunt vt anunciēt: In his nōnulli, fuerunt qui ſtudiorum ſuorū prę-mia, litteratorum ordinem erant conſecuti, in quo vno tota Sinica Nobilitas, ne dicam felicitas

videtur

videtur conſediſſe. Ex ijs porro vnus iam inſigni dignitate conſpicuus Chriſto nomen dedit: Magiſtratuum porro filij aliquot: quæ nunc narrare aggredior, ut quidq; annalibus dignũ reperero. In primis dicendus mihi occurrit is, in quo primaria dignitas conuerſionem fecit illuſtriorem. Fuit hic vnus è primarijs huius Regiæ Magiſtratibus, quos Sinico nomine Tauli vocamus, ad cuius Tribunal certę vrbis regiones recurrũt, nec in vrbe ſolum ius exercet, ſed pręeſt ijs omnibus negotijs, quæ vna ex quindecim regni prouinciis ad regiam refert, ideq; ex munere de vniuerſo regni ſtatu monet ea, quæ videntur opportuna. Hic metropolis Cantonicæ Ciuis, eſt, cognomẽto Chem, Apoſtoli Thomæ nomine in baptiſmo inſignitus. Olim in regia Pequinenſi cum ageret, magnam cũ P. Matthæo Ricio de reliquis neceſſitudinem contraxerat, vnde non grauatè vni è filijs años ferè quindecim nato, liberam ſacra noſtra ſuſcipiendi fecit facultatẽ: verum ipſe tum quibusdam remoris expedire ſe nõ potuit; nam & negotia animum alio diuertebant; polygamia verò (vulgare procerum Sinenſium malum) etiam auertebat: ſed neſcio an fortaſſe vehementius aduenarum nomen, duplici compede vel ſuperbiæ vel metûs impediret. Superbia barbaram (nam ipſi quoque hoc nomine inſigniunt quotquot natura cælo Sinico naſcentes excluſit) barbaram inquam horrebat

ac ſuſpectam reddebat veritatem, metus incurrendi criminis externæ conſuetudinis, quod eſt propè perduellio, qui metus Sinas omnes inuaſit, ſed in Cantonienſium maximè medullas penetrauit. Itaque his vinculis exolui tum planè non potuit. Cum denique in hac regia ad eam quam ſupra dixi, dignitatem fuiſſet euectus, eo in munere ſemel initam cum noſtris conſuetudinem, hic quoque retinuit ſibi ſemper ſimilis. Verùm credendum eſt, id bonum Patrem Matthæum Ricium è cælo perfeciſſe, quod in terra cæperat. Nam vbi Nanquini auditum eſt, eum Pequini diem ſuum obijſſe, ex ijs qui certatim ad ædes noſtras deploraturi mortuum veniebant, vnus fuit, futurus breui noſter Thomas, qui intimum doloris ſenſum præ ſe ferens, ſæpe commemoratus in annalibus noſtris, ad nomen demortui in tabula ſcriptum, ritus exoluit, & conſolaturus, viciſſim conſolationem exigere viſus eſt. Eum doloris ſenſum, non negligendam occaſionem ratus Pater, qui venientem exceperat, aggreſſus eſt leuare: nam ex Patris felicitate, ſolatij ſumens argumentum, eum quoque hortatus eſt, faceret omnino, vt quem viuens amauerat æternum ſibi amicum compararet. Ex ea re, in fidei noſtræ capita digreſſus eſt ita feliciter, vt iam ſe exinde rem tantam ſerio tractaturum eſſe reciperet; nec minus fecit quàm dixerat, nam aliquot alijs congreſſibus

dedit

dedit manus: quam etiam ad rem, prius Pater ab eo rogatus vti Magiſtrum ſuis filijs procuraret, Chriſtianum ingeſſerat eum, quo noſtri in Sinicis libris exponendis vtuntur. Is quoniam domi ex more Sinico degebat, perpetuus ei comes & hortator erat. Itaque vani tandem metus ſublati, fides coniugalis debitæ vnitati reſtituta; ad concubinam conuerſus, ait ſe, & per ætatem, & per valetudinem ſtatuiſſe iam dudum ei renunciare, ſed nunc demum, cùm ea ſacra ſuſciperet, quæ antiquam cum ea conſuetudinē in ſcelere prohiberent, omnino & in perpetuum ſe eam abdicare, ac nequid periculi ex eius conſortio ſupereſſet, eam ab ſe in Patriam ablegauit. his itaque vinculis exolutus, Chriſtianam libertatem expetebat. ergo fidei noſtræ capitibus memoriæ commendatis, & myſterijs abundè imbutus, baptiſmi ſui diem eum eſſe voluit, qui naſcenti primus fuerat (quem diem Sinæ præ omnibus celeberrimum habent) aſſerens, eum ſibi bis natalem poſt hac fore. Eum diem vbi aduenit, ceteris negotijs vacuum huic vni voluit conſecrari. Domi igitur certis de cauſis, ſalutaribus aquis magna pompa elutus, diem, magno vtrimque gaudio, lætum cum Patre, quē magnifico accepit epulo, lætus exegit: nemo tamen domi baptizatum putet ideo, quòd velut alter Nicodemus domeſticis parietibus, vt ille tenebris, ſuum ad Chriſtum aduentum vellet

occultari; ſed ex alijs cauſis, quas ſecum officij ratio trahit,quæ ab Europæis non facile poſſunt niſi longa narratione intelligi. quin potius hic idem,de quo agimus,à Patre, dum hac de re ageretur,rogatus, velletné ſecretum ſeruari? reſpondit, nunquid arcano in re bona opus eſt? egóne rem malam aggredior? tota vrbe publicetur, per me licet, atque ita ab illo noſtrisque factum magno cæterorum Neophytorum gaudio,qui ſatis intelligunt,plus ex hoc vno capite quàm ex aliquot vulgi millibus,ad rem Chriſtianam accedere dignitatis atque fructûs. Nec bonus Parens rem nauiter ſuam egiſſe ſibi viſus eſt,niſi vna filiorum ſalutem in tuto collocaret. Supererant cum eo duo,eos quoque vna renaſci voluit,& Chriſto nomen dare:qui hactenus acceptam fidem egregiè retinent & colunt magno ſuo ſolatio reique Chriſtianæ adiumento,vt quæ infra commemorabimus oſtendent.

Huius noſtri Doctoris Thomæ opera, Pater, qui hic rem Chriſtianam procurat, amicitiam inijt cum alijs quatuor eiuſdem officij collegis. è quibus vnus ſatis habuit lucis, ad agnoſcendam fidei noſtræ veritatem, ſed ad expediendum ſe mulicbribus pedicis non habuit animi ſatis, nihilominus quod ipſe non amplexus eſt, eius conſequendi boni filio auctor fuit. Annos hic iam natus tres & viginti

ginti, iam Sinicus baccalaureus & magnæ indolis,& ab ijs,quæ patrem remorabantur, impedimentis liber. Eius conſilij præter ceteras hæc fuit cauſa. patiebatur iuuenis neſcio quas nocturnas perturbationes ac metus, adeò ut excuſſo ſomno in clamores erumperet; vterque ſperabat poſſe ſalutaribus baptiſmi aquis remedium inueniri, quod & magnam partem eſt conſecutus.

Alius quoque è Collegis, priori parum abſimilis fuit,niſi quod vlterius progreſſus, vrgebat diu in Neophytorum numerum adſcribi, ſed quoniam per publica negotia non ſatis inſtrui poterat rebus noſtris,ac potiſſimum quod procliuis in mollitiẽ polygamiam ægrè deſerturus notaretur, hactenus ſuperſedere viſum eſt,dum patentiori animo, cæleſtis radios lucis admittat. atque hi ſunt ferè tres illi qui ædis ſacræ opus, vt infra dicam, maximè promouerunt.

Præter hos alius quoque ſenex octuagenarius, grauiſſimus iuxta ac Nobiliſſimus, Neophytorum numerum non anxit ſolùm verùm etiam plurimùm cohoneſtauit. Eius Nobilitas aliquot iam retro ſæculis originem trahit ab ijs ducibus, qui Hum-vnum Regem, Mahometanis tyrannicam Sinenſis Imperij adminiſtrationem eripientem, adiuuerunt, qui ex eo tempore honoribus

& operibus aucti hactenus perſeuerant, quanquam publica munera non attingunt. Hic, de quo agimus, Patruus eſt capitis familiæ, cuius dignitatis nomẽ ab Sinis Quocum appellatur; ab rege ſecundus magnis ab eo honoribus afficitur, ſiquidem vni illi cum rege licet conſidere. Patruus ipſe quoque ditiſſimus ac nobiliſſimus, in noſtrorum notitiam, opera cuiusdam litterati, viri grauis noſtrique amici deueniens, domi noſtræ coram audijt aduentus noſtri cauſam, ac inſtituti rationem, poſt domi ſuæ, cum Pater viſitandi officium de more redderet; legis noſtræ capita percepit. denique aliquot congreſſibus dedit manus, & tandem baptiſmo veteris vitæ maculas abluit. Exinde quot menſibus bis domum noſtram redijt, nouilunio ſcilicet ac plenilunio, Deum adoraturus; quod illi ſatis eſt incommodum, cum per ætatem, ne cubiculo quidem, niſi ſella vectus egredi poſſit. Sed nefas ducit eum, quem prius falſis ſimulachris idolorũ cultum præſtitit, ad veri Dei honorem impenſius proſequi. Ventitantem Pater ſemper opportunis colloquijs inſtruit, vt omnino ſperandum ſit, bonum illum ſenem, de numero electorum eſſe, eundem morte matura breui in cælis aucturũ. Si quando, quod eſt per rarum, per ſe ipſe venire non poteſt, mittit qui ſuo nomine odoriferos ſuffitus ac cereos Deo offerat, inualetudinem ſuam cauſatus. Nec in

nos,

nos,quàm in ipſum Deum minus liberalis, quibus ſuum frequentibus muneribus amorem teſtatur,& inopiam ſubleuat. His paucis contentus,ceteros qui Chriſto nomen dederunt ſilentio inuoluam,quoniam alia me vocant,vt quem initio mihi propoſui ordinem ſequar.

Inſtitutum ſuperioribus annis,ſub Deiparæ nomine, ſodalitium,bellè procedit. De ſodalibus multa dici poterant, verùm omiſſis ijs, quæ pietatis vſus ex inſolentibus vulgaria effecit, pauca ſeligam rariora. animorum zelus in ijs non mediocriter eluxit. Vnus ex ijs, aliquot infantes moribundos,cælo intulit, è quibus vnũ, quem parentes vererentur ne quod erat ſaluti futurum,perniciem inueheret, expreſſa è ſudario aqua,prolatisque ſacrę formulæ verbis,clam baptizauit. Sed alterius ab eodem eluti euentus non habuit ſolùm ſpecimen charitatis, ſed etiam miraculi. Agebat iam propè animam infantulus quidam,variolis,puerili ferè morbo, fœdè infectus,exorauit idem ille parentes vti moriturum ſinerent ritu noſtro lauari,potentem eſſe Deum, etiam deſperatam ſalutem impertiri, hac ſpe deſperantes illecti,ſummus enim dolor nihil non admittit,annuerunt; mira res,elutus, remittente ſe multum vi morbi, ſpem ſanitatis certam dabat. Parentes primo ſtupère, ſed vt ęrant mirè gentilicijs ritibus addicti datam ſalutem, ingrati non ſine graui datoris iniuria, aliò

deriuabant, multa mentitis Dijs gratulantes, grati animi ſigna profanis ritibus exoluebant. E noſtris Pater rem cum mærore intelligens clarè prædixit fore, vt eam contumeliam iuſtus Dei furor vlciſceretur. Nec defuit dictis euentus; ſubito ſalus, à ſuo fonte alio deriuata, aruit; Puer in peius momentis ſingulis ruens; biduo interijt, ſuo bono, parentum pæna. Credimus etiam aliquot cælo immiſſos infantulos ſalutem ſuis exoraſſe parentibus.

Nec in Pueris ſodalium feruor ſtetit, mulier erat vxor Neophyti, ſed ipſa ſuis adhuc erroribus inuoluta, ex hominis perditi vicinia, magnum adibat exiſtimationis & ſuæ & mariti diſcrimen; Id ſodales aliquot odorati perfecerunt, vt aliò comigrarent, nec deſtitère, donec liberam ab infamia mulierem, à ſua quoque cæcitate liberarent. Itaque ipſa quoque mariti tandem exemplum ſecuta, Chriſto nomen dedit.

Habent hi ſodales domi noſtræ cætus ſuos, ſed ijs non contenti alium inter ſe inſtituerunt, quo frequentius de his inter ſe agant, quæ ad Chriſtianam pietatem ſpectant, vbi ſeſe ad pia opera excitant, ægros viſendi, Neophytos inopes, corrogata inter ſe eleemoſynæ nomine pecunia, iuuandi, defunctos comitandi, reiecto etiam funebri conuiuio; aliaque multa perficiendi, à quibus conſultè abſtineo, quoniam à nobis non vulgaria expectantur, quanquam hæc

ipſa,

ipſa,in orbe Chriſtiano quotidiana,apud Ethnicos inaudita,omnium oculos in ſe conuertunt, magna cum noſtræ legis approbatione & aliquando imitandi cupiditate. verum ne videantur ſoli ſodales virtutis laudem occupaſſe, concludam inſigni non ignobilis Neophyti facinore,qui fuit vnus ex ijs Magiſtratibus, quibus bellica curæ. quem ſuperioribus annis in Regia vrbe Pequinenſi in noſtros incidentem, lux veritatis aſpexit; iamque eius ad Deum conuerſionem Dominus,qui ſe vinci non patitur, multis muneribus compenſauit. In Doctorum enim gradum (nam etiam ipſi bellici Magiſtratus pares cum litteratis honorum titulos habent) in Doctorum,inquam, gradum eſt prouectus, & primo munere fungi iuſſus eſt, præter morẽ, honorifico in hac vrbe Nanquinenſi; quo cum perueniſſet,nihil habuit antiquius,quam in ædẽ noſtram ſacram ſe conferre, Deo pro beneficijs gratias acturus,& conſortium fidei cum noſtris initurus; lapſis aliquot diebus, cum ex more munus ſuum adiret,publicè propoſitis falſorum Deorum ſimulacris, noluit ſolitos honores exhibere, ſed conſtanter profeſſus, ſe eſſe cæli ac terræ dominatoris cultorem,ab eo loco auerſus, vbi erant ſimulacra, ad aliũ in quo ſimulacra nõ erant,eum qui vbique eſt coram quamplurimis adorauit, quæ rei inſcios ad ſciſcitandũ; peritos autẽ iam rerũ noſtrarũ, ad imitandum incitauit. deinde

deinde quoties expedire ſe negotijs poteſt, quæ habet non pauca, ad nos venit vel Religionis cauſa, vel ſua dubia in Republica gerenda cum Patre collaturus, cupidus ea ad iuſtitiæ Chriſtianæ normam dirigendi; vxorem cum habeat maximè idolis addictam, nullis machinis ad ſui imitationem adduci valuit; quanquam tandem ad effigiem Deiparæ colendam induxit; cuius ope ſperamus aliquando fore vt filij Religionem colat, cuius matris effigiem non auerſatur.

Quæ homines plantant ac rigant ijs dat Deus incrementum, quod cum vbique ſuis faciat temporibus, tamen hoc ipſum euidentius ac frequentius ferè facit in ſuis noualibus. Id aliquot exemplis inſignioribus res loquatur: nam ea quæ aquæ luſtralis ac ſacrorum ramorũ vſu pene quotidie peraguntur, ſufficit vno verbo deſignare.

Vicinus noſter Magiſtratum gerens non infimũ, filiam annorum ferè quindecim, quam chariſſimam habebat, iam aliquot menſes ægritudine graui exercitam, pharmacis varijs nulla ſpe curabat; Medicorum etiam damnatis auxilijs, ad ritus gentilicios conuerſus, nihil proficiebat: die quadam puella ſoporem, quo correpta fuerat, excutiens parentem inclamat; aberat is tum fortè amici collegæ conuiuio exceptus, accerſitus accurrit, quærit ex filia ecquid velit? tum puella vicinum, inquit, eſt ſacellũ cæli Domini,

(ſic

(ſic enim lingua Sinica Deum appellamus) eiusque ſanctiſſimi parentis, quid eſt cauſæ cur hactenus eo nondum itum ad ſalutem, quàm facilè mihi conferre poſſunt, impetrandam? Obſtupuit Parens, & mox filium cum famulis ad ſacellum noſtrum mittit, iuſſum adorato Deo religioſè, lumine ac odoribus offerre munera. Ipſe domi votum nuncupat, certam pecuniæ ſummam pro filiæ ſalute. Nec voto nuncupato contentus, ipſemet die inſequenti, quod pridie per filium fecerat, per ſe præſtitit: Eo ipſo die puella melius habere cæpit, magna omnium admiratione & gaudio: ſed quo pede cæperat, non inſtitit Paternus amor; verùm alio conuerſus & ad aliena, credo ne ſi nihil intentatum relinqueret; neue ſatis præſidij in vna ad ſanitatem via foret; neſcio cuius ſuaſu, veneficam induxit, quę ſuis carminibus ſpiritus vt aiunt cieret. atqui illa ſpirituum inuocatrix puellæ ſpiritum paucis diebus expulit. Parens verò vel culpam agnoſcens, vel aliquod maius metuens malum, votum exoluit, hac ipſa re ſatis teſtatus, licet Ethnicus ſalutem filiæ à Deo datam, à ſe ereptam.

Ingrati animi culpam ita luit ille; grauiùs vxor cuiusdam noſtri Neophyti, ex culpa grauiore, coniugis nec auctoritate nec exemplo adduci valens, vt idem fidei, quod vitæ iugum traheret; quin vlterius progreſſa maritum, ad excutiendum ſuaue Chriſti iugum, ſolicitabat, ſed

cum

cum nihil efficeret, nondum ſtetit audacia, nam arreptam Chriſti ſeruatoris effigiem, indignis modis tractauit, in Deum ſanctosque ore blaſphemo debacchata. Non fuit impunè tantum ſcelus; fortè leui ex causâ cum neſcio qua vicina ſua, muliebri more litem ſerit, & tam altè animo iniuriam accepit, vt octidui ſpatio, extremè conficeretur, ibique pænitens ſæpius exclamaret vti Patrem baptiſmi cauſa accerſerent; obtinere tamen non niſi ſerò id potuit, ſiue quod noui Chriſti Tirones nondum ſatis ſui Ducis lenitatē cognoſcerent, indignum arbitrati à Chriſto recipi eam, quæ in Chriſtum tanto fuiſſet furore debacchata; ſiue alia de cauſa: certum tamē hoc ei iuſto Dei iudicio negatum, qui ſic res humanas è cælo moderatur, vt ſæpius amari, nonnunquam etiam timeri velit. Non idem fuit alterius iuuenis exitus, à quo morbus extorſit fidem, quàm cum ſuſcepiſſet, altero die tantum Theſaurum, ne perderet, in tuto vt ſperamus moriens repoſuit.

Quæ diximus, iuſtum in iniuſtos Deum, quæ ſequantur, bonum in bonos atteſtantur, vt verum ſit illud Regij vatis. cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Inter Neophytos vnus eſt Andreas nomine ſolidus, & verè pius in paucis, huius vxor, marito ſimilis, in ægritudinem incidit incognitam & grauem, nam primum grauibus doloribus vexata, ad in-

ſtar

ſtar colicæ, nullam quietem capiebat; inde creſcens malum in paralyſim membra diſſoluit, vt non niſi alienâ ope ſe poſſet mouere; denique his malis ad extremum vitæ diſcrimen adducta. Dum hæc per aliquot menſes geruntur, complures in maritum inſultabant, ecquid nunc prodeſſet idola deſeruiſſe, aduenam neſcio quẽ cæli Dominum venerari, à quo non poſſent his malis eripi? Inſultantium erat caput vnus aliquis qui Chriſto deſerto, ad idola redierat, coniugis ſuæ ſuaſionibus adductus; quæ & ipſa olim quoque Chriſtianis ſacris initiata aſſerebat, ſe, cum morbo vexaretur, nuncupato profanis ſacris voto, ſalutem reperiſſe, qua ex cauſa cum liberatoribus, vt ipſa putabat idolis, in gratiam redijt: Auctores igitur hi fuêre noſtris Neophytis, vti certos ritus exuſta papyro peragerent, ſed fruſtra; ſentiebat tamen hæc vir bonus, & ſæpe domum noſtram ſolatij cauſa ventitabat, Deo ac ſanctiſſimæ Virgini in ſuis ærumnis ſupplex, interim quoque remedia medicorum adhibens nihil relinquebat intentatum: ſed cum omnia ſpem fallerent, angebatur. demum ſatis exercito Dominus conſolator adfuit, poſt nuncupatum magnæ Dei Matri votum illico melius habere cæpit quotidianis incrementis, demumq; integram recepit ſanitatem. ſed qui cum bonis bonus, idem quoque importunos inſultatores & apoſtatas

pro

pro meritis caſtigauit. Namque illa mali dux & caput ſubita ægitudine denuo correpta, paucis diebus bis interierijt, magna eorum qui audierant, vel viderant admiratione.

Eſt aliud diuinæ virtutis argumentum. Neophytus erat qui re nautica transmittendisque huc illuc victoribus vitam ſuſtinebat: vacuo fortè Nauigio in reditu à quinque vel ſex viris rogatus eſt, vt ſe pacta pecunia in villam quandam tranſueheret. Vbi conuentum de pretio, euehitur noſter Neophytus duobus nauticis ſocijs adiutus. Medio in itinere ſuos nautas mentiti vectores, latrones veriſſimi, impetu facto vinctos, maleque multatos in diuerſas Nauigij latebras abſtrudunt: latebant illi nihil niſi mortem expectantes, noſter ad fidei ſuæ præſidia conuerſus, totus erat in imploranda Dei ac virginis ope; Alius Ethnicus à neceſſitate conſiliũ capiens, ad anchoram, quæ forrè in ſuo iacebat tugurio, vincula conterens, liberas exſoluit manus, reque diſſimulata, cùm ſe iam non procul à terra abeſſe ſenſiſſet, in flumen deſilijt; at mox è latronibus, aliquis arrepto ad eum confodiendum ferro natando perſequitur, ſed non aſſequitur abſorptus aquis, altero in ripam euadente. ſenſit rem è tumultu noſter Neophytus, & cum audiſſet non procul abeſſe à quibus audiri poſſet, auxilium inclamare totis viribus cæpit, quam ob cauſſam à latronibus ita malè habitus

bitus eſt, vt ſola mortis ſimulatione eos abſe arcuerit; rurſumque iteratis ſuis votis, cæleſte auxilium implorat, nec fruſtra, qui enim euaſerat, rebus ſuis ſociorumque ſaluti conſulens, non paucos è nauigijs quæ tum fortè aderant adiutores exciuit, vt ab ripa fugientes iam prædones inſequerentur, quibus comprehenſis nauigium & res ſuas nautis in libertatem aſſertis, reſtituunt. Noſter ab huius regiæ Præſide euocatus, & multa de latronibus quæſitus, rogatus eſt etiam quibus auxilijs præſentem inter tot diſcrimina interitum euaſiſſet. Deum, inquit ille vnum cæli Dominatorem colo, huic me ac mea commendans ſalutem inueni. Cui Præſes, næ tu inquit vir bonus es, qui tam præſens à cælo auxilium impetraris! eumque poſt redditas res cum muere dimiſit, latronibus ſupplicio pænarũ, quæ ſunt apud Sinas grauiſſimæ, mulctatis. Neophytus periculo exceptus vbi primũ potuit, in ædem ſacram venit Deo grates, ſolatium nobis daturus.

Hoc mihi loco non omittenda mors noſtri Ignatij, de quo multa in ſuperiorum temporum annalibus ſcripta ſunt. Fuit hic filius cuiuſdam ex ijs Magiſtratibus, quibus ad ſumum in Republica Sinenſi gradum vnus deeſt; & cõtractam ante multos annos cum Patre Matthęo Ricio neceſſitudinem, cum noſtris ſemper retinuit; Mors autem eius ad hanc ſedem perti-

net,nō ideo ſolùm,quòd in hac Prouincia diem ſuū obierit, ſed maximè quod ipſe nobis in hac vrbe Regia domicilium pepererit, vnde ei plus debet res Chriſtiana,quàm alteri cuipiam : quo nomine,breuiter eius in nos,rēq; Chriſtianam, amorem, hîc velut Elogij loco congeram, vt merito ſuo impetret Europæas preces. Quocirca cùm in Xancheana ſede primum in Patrem Matthæum Ricium incidiſſet,enixe illū coluit, quòd ab eo Alchimiæ rationem ac vitæ longioris præcepta ſperaret percepturum ; ſed demum alia meliora edoctus,amorē auxit,àdeò vt nondum ſacris noſtris initiatus ad ſocietatē noſtram in hoc regno amplificandam, applicaret animum. Inter ceteros, aut potius præ ceteris,auctor noſtris fuit,vt vilem profanorum ſacerdotum Sinenſium habitum,cum litteratorum cultu mutaremus,ſi quidē deſideraremus quæ profiteremur,à viris primarijs audiri:vix paruimus, cum manifeſtè patuit diuinum iſtud fuiſſe conſilium. Deinde cum eundem Patrem Nanquinum adduxiſſet, iam deſperantem de ſede figenda,non animauit ſolum,ſed effecit vt ad Patrē in diuerſorio omnis Magiſtratus,cōcurreret; atque ab illis ipſis impetrauit, vti domo noſtris vendita, quod conſequens erat, perpetuam commorandi poteſtatem facerent. eiuſdemque opera effectum eſt,vt ex eo tempore in hanc vſque diem nunquam Magiſtratuum

concur-

concurſus, noſtræ domi defuerit; quod vnum eſt in hoc regno, rei Chriſtianæ procurandæ & habitationis ſecuræ adiumentum. Pro quo tam inſigni beneficio Dominus noſter abundè ſatisfecit, immiſſa in eius animum Euangelij luce, quâ prælucente ad Chriſtum adijt. Cũ verò domi ſuæ, quæ abeſt ab hac regia, itinere dierum ferè ſex in morbum incidiſſet hoc anno, lentum illum quidem, eo tamen eſt extinctus. Is æger de ſua valetudine certiorem fecit eum Patrem qui huic ſedi præeſt (à quo baptizatus, & merito Ignatij nomine, tantus ſocietatis noſtræ cultor inſignitus) ſed in medio opere templi extructio abeſſe Patrem domo non ſinebat. Superuenêre paucos quoque poſt dies aliæ eiuſdem litteræ omnem periculi metum eximentes. Itaque dilata eius viſitatio tantiſper dum Patres, qui in Chequianam prouinciam cogitabant, eum ex itinere interuiſerent: recrudeſcente autem grauiùs malo, vtrimque fuimus ſpe noſtra fruſtrati. Nam prius auditũ eſt obijſſe quàm denuo periclitari, quod maximo nobis dolori fuit, quanquam huic leniendo venerunt litteræ filij, qui annos aliquot domi noſtræ educatus, ex quibus Parentem magno pietatis ſenſu obijſſe, intelligentes, ſperamus eum ad ampliſſima præmia vocatum, ab eo à quo ad Chriſtianæ rei tã præclara initia fuerat vocatus.

Tandem ad ædis ſacræ conſtructionem venio, quæ multa habet annalibus non indigna.

Præter anguſtias ſacelli domeſtici, quæ iam Neophytos in dies numeroſiores non capiebant; ædem aliam ſacram ampliorem extrui perſuadebat, alterum in Sinenſi imperio templum. Nequid autem turbarum cieretur, veritus is qui huic ſedi præeſt, cum Patribus peritiores quoque grauioresque noſtros Neophytos in conſilium adhibuit: Gerebant tum in hac vrbe Magiſtratus grauiſſimos Chriſtianis ſacris initiati tres Doctores, Ioannes videlicet de quo anno ſuperiore. Leo quo de annis quoque ſuperioribus multa & hoc quoque ſumus plura dicturi. Thomas denique cuius paulò ante memini, acceſſit iſtis Doctor quoque Paulus toties in annalibus noſtris decantatus, qui peracto iam parentis funere, ac luctu in aulam Pequinenſem ad ampliſſimæ dignitatis munus reuertebatur. Hæc quatuor Eccleſiæ Sinenſis lumina, de templo rogati, vno omnes ore Patris conſilium comprobarunt: ſolùm deterrebant, partim domus noſtræ, partim, maius malum, incredibiles rei familiaris anguſtiæ; nam vt apertè dicam, ad neceſſariam & quæ imminui non poterat ſuſtentationem, prouentûs annui dimidium verè deerat. Interim tamen vrgebat non omittenda capillatæ frontis occaſio, cùm præter hos, quos modò nominaui Neophytos, grauiſſimus quiſque ex Magiſtratibus ita faueret, vt omnia impetrari tuto poſſe viderentur; adeoque audendum

dum Deo auſpice, qui non fruſtra hanc ingerebat tam voluntatem quàm opportunitatem. Ad proferenda domeſticarum anguſtiarum ſpatia primum animum adiecimus coëmptis ædibus vicinis aliquot, auctoritate & ſumptu noſtri Leonis, cuius in hoc negotio primus feruor enituit. Dũ hæc geruntur, opportunè aduenit ſuperior totius Miſſionis, qui vt initio, dixi omnes noſtrorum ſedes, in aulam ſe conferens, ex itinere viſitabat. comitabantur eam duo Patres quos ſupra dixi, aderat præterea à ſuperiore euocatus Pater Lazarus Cataneus, huius miſſionis nunc omnium antiquiſſimus, qui tum in vrbe vicina, rem Chriſtianam procurabat. hi quinque ergo Patres, ſatis rarus in hoc regno noſtrorum cætus, cum alijs, de quibus conſultarent, rebus, noui quoque templi exædificationem, in conſilium vorarunt. & quanquam videretur ſupra vires opus, tamen rei gerendæ occaſione permoti, & Patris potiſſimum qui rem erat perfecturus grandi fiducia adducti, in eandem omnes cõuenêre ſententiam. Dirutis continuo ædibus area cõplanatur, & delineata eſt prima ædes ſacra regiæ Nanquinenſis, publica breui auctoritate erigenda; ab ædificando tamen abſtinuit Pater, dum ſuperior compoſitis rebus huius domicilij, iter ſuum proſequeretur alijque in ſuam quisque fuiſſent ſtationem dimiſſi. Relictus Pater cum duobus fratribus noſtris, incre-

dibili ob paucitatem operarum è noſtra ſocietate labore, & occupatione multiplici diſtrictus, negotium templi inſtruendi aggreditur. quo inquis, ſumptu? quid quærere opus? an apud Sinas non eſt Deus? ſatis fuit cæpiſſe; certatim, vbi auditũ Domino cæli ædem extrui, amici omnes Chriſtiani Ethnicique ſubuenêre, idque adeo præter opinionem ſæpe vt è cælo pluere ſubſidia viderentur, non imbre tamen nimis copioſo, ſed velut capillari pluuia, quæ opportunè labens ſitientium agrorum irrigat ſiccitatem. Ita ſæpe in hac extructione contigit, vti plerumq; exſiccatos & aridos propè loculos, argenteus ros ſtillatim fœcundarit quantum ſatis eſſet, toto illo tempore quo ſtructura opem poſcebat. Iam tectum ſpectabat prouecta moles; ſed inopia tegere cum non ſineret, Pater horologio, quod diem tenuiſſimis rotulis metitur identidẽ auidis inſpectoribus oſtenſo, cupiditatem alicui iniecit illius potiundi quantolibet pretio. Eo igitur ſponte multisq; precibus perſoluto, ad faſtigium ædes euaſit. Cum tota verò ſpes huius ædis erigendæ in Neophytis Magiſtratibus reponeretur, nondum poſſum à Dei prouidentia commemoranda diſcedere; quanquam ne plus in hominum præſidio, quam Dei auxilio, ſpei collocaremus, maximum amicorum par, Ioannes & Leo, è medio negotio ſubducuntur, dum eo ipſo tempore, hic ad Patris, ille ad matris curanda funera depoſito Magiſtratu, con-

ceſsére

ceſsêre, ſolo paucorum dierum tyrone Thoma relicto, quanquam qui abierunt non ideo beneficentiam omnem ſecum extulerunt,nam & abeuntes ſperata ſubſidia reliquerunt, & abſentes pro ſe quiſque ſua ſubmiſerunt; tamen minime dubium eſt quin humano ingenio rem metientibus,hoc ipſum ſatis futurum fuiſſet ad omnem ædificandi cogitationem deponendam; niſi Dominus Deus in ſpem nos erexiſſet, & Neophytos ædi ſuæ ſubtractis, idem ipſos Ethnicos ſuffeciſſet. Ex ijs vnus qui non infimum gerebat in republica munus, cum ad viſendam nouam ædem (cuius fama quotidie quamplurimos exciebat) aduenisſet; Contemplatus ſacelli,in quo ara & Chriſti ſeruatoris effigies ponenda erat formam, cùm præter reliqua maximè illa captus eſſet, petijt eius perficiendi exornandiq; ſibi fieri facultatem. Cuius mox ſumptu pauimentum,feneſtræ, pictura perelegans & ductum in fornicis morem tectum perfecta ſunt.Deus illi pro munere religionis lucem & pro templo cælum reddat. Præter eos, quos dixi,Ioañem ac Leonem Neophytos Doctores, ac Thomam hoc opus adiuuit quoq; egregiè ſenex ille nobilis,hoc anno baptizatus : adiuuêre quoq; noſtri Neophyti etiam tenues, qui collecta pecunia, inſcio & inuito Patre calcem coëmerunt,cũ ſumptu operam inſuper ſuã, vt quiſq; valebat,conferentes.Inter quos duo maximè excelluêre; alter Philippus Sinicus Baccalaureus

N 4 &Pa-

& Patrum noſtrorum qui Sinicas litteras ediſcunt Magiſter, toto eo tempore in hanc rem vnam intentus, omnia procurabat, coëmebat, dirigebat tanta ſedultate ac fide, quantam ab vno è Noſtris fratribus ſperare poteramus. Alteri Lucio nomen eſt, qui copioſus eſt in vrbe vicina negotiator, fortuitò noſtrorum opera Chriſto adiunctus, & rarę ſemper virtutis ſpecimine inſignis. neque hîc quam Pequini in nos effuſior, quo cùm ſe negotiorum cauſa contuliſſet, in Patris Matthæi Ricij mortem incidens, dici non poteſt quantum noſtris ope, cõſilio, ſumptuque ſubuenerit. Vbi ergo audiſſet Nanquini noſtros ædem ſacram moliri, relicta familia negotijsque omnibus ad Patrem iuuandum, quem ſolum eſſe intellexerat, venit, domi noſtræ conſedit, nulli labori ac ſumptui parcens, vt in hanc rem aliquid conferre mereretur: & dum nobis omnia, ſibi, quæ eſt eius modeſtia, nihil facere videbatur, ac fortaſſe, ne quod feciſſet emineret, præcipuam ſuam munificentiam in fundamenta, qui locus eſt demiſſionis Chriſtianæ, conicit, coëmptis ijs ſaxis quibus reliqua moles innititur. In hunc ferè modum Dominus in æde ſua erigenda oſtendit quam verè dictum à Propheta, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.

Cum æde ſacra conſilium fuit, hanc Eccleſiam ſtabilire ac erigere: id vt fieret, opus omnino erat

no erat hoc ædificium publica Magiſtratuum auctoritate aſſurgere, quod ad iſtam rationem ferè geſtum eſt. In hac Sinenſi Republica, priuatæ omnes ædes certum quotannis Regi vectigal pendunt, niſi quod immunes ij omnes, qui iam in litteratorum gradus euecti, alijque nonnulli, de republica bene meriti: ædes porro in aream templi coëmptæ vt erant hominum plebeiorum, ſic tributo huic erant obnoxiæ. etſi, quod exiguum, nihil admodum nos augebat, opportuno tamen prætextu, diſſimulata templi fabrica, ne repulſæ periculum adiremus, libellus conſcriptus eſt, quo petebat Pater vt quoniam Deo cæli & terræ moderatori ædem extrueret, ea in area, in qua fuerant ædes priuatorum hominum, Regio tributo obnoxiæ, iuberent Magiſtratus, eas à tributo eſſe immunes. oblatus libellus amico cuidam; cuius hoc erat munus, qui minimè grauatè, plus etiam quàm fuerat poſtulatum dedit. nam publico diplomate ſanxit in hunc modum: poſtulauit N. ædes quaſdam regio tributo liberari, cum deceat nos, qui rem gerimus publicam, aduenas potiſſimum è remotis partibus omni officio fouere, & quoniam ædes cæli Domino ac ſummo rerum omnium Gubernatori exſtruitur, mandamus ædes quas coëmit omnes, poſthac in perpetuum à vectigali eſſe imunes. Hoc tam amplum atque inſigne diploma, quo ſe dæmon facile prodi ſentiebat,

non tulit vicinorum quorundam inuidentia, in noſtram perniciem ſurgentisque templi nonnihil molientes; ad hæc inferiores nonnulli Magiſtratus, ad quos pertinebat id exequi renitebantur. Verum hoc ipſum quod eneruando diplomati parabatur, valuit ad ipſum confirmandum & aliud longe amplius impetrandũ.

Gerit in hac regia iam annos aliquot primum ferè Reipublicæ munus vir, magna apud omnes integritatis & prudentiæ opinione, vnde & vulgo ſanctus appellatur. Ad eum recurrere Pater omnino ſtatuit, expoſiturus ei, ſe tale diploma à tali Magiſtratu impetraſſe, nonnullos autem inferiores in eo exequendo difficiles ſe præbere, rogare ſe, vti ſuo quoque illud ſigillo confirmet. Dictum factum, quin & ipſe aliud proprium diploma addidit, in eandem ſententiam, quo vetabat vt nemo in hoc ſuo mandato exequendo quicquam tergiuerſaretur aut prætexeret: beneficio Pater gratias agens obtulit perelegantem D. virginis icunculam Europæo opere, quod ille ſuſpexit ac libens accepit; poſt ad res noſtras digreſſus, diu ac multa ſciſcitatus mirè omnia comprobauit, laudatoque ſummopere noſtro inſtituto, legis diuinæ promulgandæ continentiæque ſeruandæ, coram multis, tantas in noſtros congeſſit laudes, vt non ſine rubore poſſent audiri. Hoc tam honorificum Diploma æmulorum in perpetuum ora obturauit, &

uit,& inferiorum Magiſtratuum, qui fortaſſe in largitionem inhiabant, ſpem extinxit. Duplici confirmatum iam auctoritate templum acceſſione tertiæ etiam aſſurgebat. Quod enim pro ædium foribus ſpatium Sinæ, quantum lapis adijci poteſt, ferè producant, ſi quid inde adimunt proprio vſui, annua penſione redimunt: ſimile vectigal vni ex coëmptis à nobis domui adhæſerat, cuius im̃unitatem, ex alio tribunali petere oportebat. Illud quoq; cum Pater ab eo qui huic rei præerat poſtulaſſet publicis litteris impetrauit, quibus dicebatur, quoniam ab alio tribunali iam area ædis cæli Domino extruendæ, tributi onere exoluta eſſet, decere quoque vt iiſdem ex cauſis tribunal quoque ſuum hoc tantulum vici ſpatiũ libens donaret. Sed neq; hic finis aliud quoq; perfecto iam opere confirmationis genus impetratum, quod quia eſt eiuſdem argumenti hic adſcribam.

Qua ratione in Europa Principes familiarũ ſuarũ appenſis inſignibus, amicorũ villas, ædes, nemoraq; à militari tuentur inſolentia: ea quoq; Sinæ ab amicis optimatibus inſcriptiones quaſdam obtinent, quibus ſe à maleuolorũ incurſib⁹ defendũt, quod duplici inſcriptione nobis vltro præſtitit noſter Neophytus D. Thomas: nam perfecto iam tẽplo miſit ad nos magno vt fieri ſolet apparatu, inſcriptiones duas, alterã ædi, alteram ædibus præfigendam; Vtraq; hoc inſcriptio

erat tabula concinnè depicta, exſculptisque aliquot Sinicis characteribus, ſcriptoris nobili manu; Ædis quidem erat in hunc modum: *Aula Diuino ſeruitio deputata.* Ædium; *Magni occidentis litteratorum domus.* Vtraque ſupra ſuum quæque limen appenſa in ingredientium oculos incurrens, ſuam cuique appellationem legendam præbet: Et quidem hic domi noſtræ appenſus eſt titulus, eo conſilio, vt quoniam noſtra nonnulla miniſteria videntur cum profanorum cænobitarum Sinenſium ritibus conuenire, & nonnulli ea ſimilitudine decepti, nos ex eorum eſſe genere arbitrentur, quod nos omnino euitare neceſſe eſt, ſi quidem volumus eum rei Chriſtianæ prouentum quem ſperamus: Cùm itaque litterati (quæ Sinarum ſecta eſt, & nihil habet propè à lumine naturæ alienũ) videant nos quoque litteratos eſſe ac dici, facile nobiſcum illecti ipſa inſtituti noſtri ſocietate conueniunt. Hoc ferè modo noſter Thomas præter pecuniaria ſubſidia, quæ ipſe quoq; contulit, ædem noſtram ſacram ac priuatas cohoneſtauit, præterquam quod frequens opus interuiſebat, artificesque hortabatur, vt hoc opus quod erat publicum, accuratè celeriterque perficerent. Contra his roboratam præſidijs ædem, nemo hactenus auſus eſt muſſitare, nec impoſterum vti ſperamus audebit, nam ipſa in dies, ab ipſa velut ætate, plus accipit firmitatis.

Non

Non defuit tamen ſibi Dæmon ac multa turbaſſet, ſi par maleuolentiæ facultas fuiſſet. Sanè per vicinas domos curſitans omnia metu machinationibusque & minis complebat, cum enim vicini noſtri aliquot, ferè fæx vulgi, non ferrent tam altè molem conſurgere, arbitrati, vt eſt ſuperſtitioſum hominum genus, bonam fortunam, quæ cælo labitur, tecto ædis altioris primùm illapſam ſibi eripi, nihil non tentarunt, vt vel dirui molem, vel vicinis ædibus æquari facerent. verùm cum ſe iam publicis maximorum Magiſtratuum litteris viderent prohiberi, inuidiam qua pæne rumpebantur, continuerunt, nihil audentes, nihil molientes, niſi quod euocatum coniectorem iuſſerunt, videret etiam atque etiam ecqua pernicies bonæ ſuæ fortunæ ab hac tam inuſitata ædificij mole immineret. verùm neque Dæmoni ſuæ artes profuerunt, nam qui per Balaam populo ſuo bene ominatus eſt, idem vano coniectori mentiri ſolito, quàm neſciebat, veritatem inſpirauit. Nihil ſcilicet à cæli Domino à quo bona omnia, mali illis impendere, quo velut oraculo permoti, ſua conſilia molitionesq; damnauêre: facetum eſt quod ex ijs vni contigit, pridie fortè collocatam in ſummo tecti culmine lapideam crucem nondũ viderat, die inſequenti vbi illuxit, aperta feneſtra fortè ſuſpiciens, vidit crucem, ac ſubito, tanquam ſi monſtrum aliquod vidiſſet, feneſtram obtura-

obturauit mirè ſollicitus de tam ſiniſtro primis illis horis prodigio, quare ad alium vicinum Neophytum pergens, queſtus eſt admodum ſeriò, nondum contentos Parres fortunam ſibi viciniore cælis ædificio præripuiſſe, ſed illam ipſam quoque ſuam, quæ ſibi relicta fuerat venalem exponere. Crux enim Sinis venalis eſt indicium: doctus tamen hoc ſignum Chriſtianis eſſe ſacrum, vimque habere contra Dæmones & omnia mala propulſanda certiſſimam; reſumptis animis depoſuit metum, & cum feneſtra rediјt in gratiam, tam inde modò bonam fortunã expetens, quàm priùs malam metuerat.

Omiſſis maleuolis ad beneuolos, & relictis triſtibus ad lætiora tranſeamus. Dici vix poteſt quantam Neophyti è tam felici rerum ſucceſſu capiant voluptatem, quam in omni ſermone ferentes, ſolis verbis non contenti, fecerunt inſcio Patre velut publicam ſuæ fidei profeſſionẽ, niſi fortè potius placeat primam in Chriſti ſeruatoris ædem, ſolemnem ſupplicantium pompam appellare. Solent Sinæ cum ædificij tecto culmen imponunt, multa edere lætitiæ ſigna, multa ritu ſuperſtitioſo, inaugurandæ domus causâ, ſacra facere, rati domus fortunam hinc pendere. Ad culmen ferè extructio deuenerat; intelligebantq; Neophyti Patrem conſultò hoc ritu abſtinere, & tamẽ videbatur è ſuo more res frigida, in re tam læta nihil alacritatis præ ſe ferre, quid

re. quid igitur? cõmunicato interſe conſilio, quæ licita erant, ab illicitis ſeligentes, primum varia quæ Deo offerrent munera coëmerunt, deinde vbi aduenit dies, quo culmen imponebatur, omnes in eundem locum conuenientes, ſingula in ſingulos munera partiti, cũ inſtrumentis muſicis, quæ à Neophyto bellici ſenatus, cõmodatò ſumpſerant; per mediam vrbem clariſſima luce in oculis omnium per nobiliores quosq; vicos in ædem nouam deuenêre, ibi adorato Deo ſua munera obtulêre magno apparatu, lætitia maiore, maxima omnium Ethnicorum qui frequentes aderant comprobatione.

Hæc in culmine cõmunis gratulatio, maior etiam aliquanto cum iam perfecto opere collocata eſt Chriſti ſeruatoris effigies, adorariq; cæpit eo in loco, quem ipſe ſibi tam inſignibus ſuæ prouidentiæ ſignis præpararat. Incidit hæc noui templi dedicatio in Natalem Do mini, quam ſacratiſſimam noctem, Neophyti magno numero in ædem nouam collecti, totam in precibus, pijs cohortationibus, collocutionibus, peccatorum expiatione transegerunt. Nõnulli etiam, qui viſi ſunt maximè idonei ad ſacram ſynaxim, tũ primum admiſſi ſunt: aderant tũ fortè duo Patres, qui è Chequiana prouincia, huc ad tẽpus reuerſi, conſederant. Hæc trium ſacerdotũ præſentia auxit celebritatem, qua totũ eum diem læti tranſigentes, gratulabantur, videre ſe aliquando diem illum, quo publicam ædem Dei optimi

Maxmi

Maximi inter Sinas aſpicerent,quo Sinicum cælum diu noctuque ſalutiferæ crucis ſignum illuſtraret; hæc enim prima crux eſt, quæ domeſticos parietes egreſſa Nanquini publicum aſpexit.In cuius tam inſignis beneficij memoriam exſculpta eſt noſtris Siniciſque litteris & parieti immiſſa ſequens inſcriptio: NANQVINI ANTIQVÆ REGVM SINARVM CVRIÆ, SOCIETAS IESV PRIMO TEMPLVM DEO OPTIMO MAXIMO, PVBLICE POSVIT DICAVITQVE; ANNO SALVTIS M. D C X I. MENSE MAIO, DIE TERTIA.

Superſedeo Europæis oculis templi Sinici fabricam ſubijcere, in magnificis ſunt illi delaſſati ædificijs, ad quorum amplitudinem, peregrinum hîc ſolum nihil ſtruit; quanquam præ ſuis Sinæ noſtram ſtruendi rationem admirentur. Nos interim in paruis nos iactamus, ſed tamen ita,vt magis nos delectet Religionis Chriſtianæ exædificatio,ad Europæorum,ſi ſingulos ſpectes,altitudinem & pulchritudinem pertingens,ſimilior futura cùm auctiori incremento, numero ſe roborauerit. Quod ex huius anni lætitia,quam in res, ex tanto locorum interuallo partimur,aliquando futurum auguramur. Verum læta ſit hæc iſtius anni clauſula, & Hanceanam expeditionem, cuius hîc initia poni poſſent,ſuo & loco & tempori tranſcribamus.

Miſſio

Miſsio Hauceana.

PRiuſquam ad reliquarum ſedium res geſtas pertranſeam, nulli videor facturus iniuriam ſi Miſſionem in Chequianæ Prouinciæ Metropolim Hanceanam attigero, vel dignitatis vel vicinitatis iure, vel denique quod è Nanquinenſi reſidentia profecta, nonnihil ad eam videtur pertinere. Eam Miſſionem appello, nam licet ſedem ibi figere cogitemus, nondum tamen in perpetui domicilij formam eſt redacta.

Chequiana Prouincia inter ceteras decem & quinque, ſolis duabus Regijs, Pequinenſi & Nanquinenſi cedit, inter reliquas prima eſt dignitate: neque enim cum Sinici Imperij ſede erepta, qua olim fuit inſignis, cætera etiam omnia Prouinciarum ornamenta, quibus hodieque prima cenſetur, ablata ſunt. Ab ortu alluitur mari qua anguſtiſſimus eſt in aliquas Iaponiæ inſulas tractus, quem fauentibus ventis horarum quatuor & viginti curſu confici poſſe aiunt: ab occaſu limites habet cum Nanquinenſi & Kiamſinenſi Prouincijs, communes; à meridie Fuquiana, ab Aquilone Xantonienſi terminatur: Numerat duodecim inſigniores Ciuitates, quæ ſunt minorum aliarum trium & ſexaginta vrbium capita, ad hæc innumera oppida, caſtella, pagos paſsim incolit. Ager totius

regni feraciſſimus, fluuijs quoque innumeris peramænus, quorum pleroſque ars naturam imitata,qua viſum eſt opportunum deriuauit, ſed ita vt nihilo ſecius, quàm ſi natura viam aperuiſſet,etiam fortaſſe cōmodius, nauigentur. vix ipſi nunc ſibi perſuadent oculi, hominum vires tot operibus ſuffeciſſe. Hi fluuij vt commeantibus peruij fierent innumerabilium propè pōtium neceſſitatem inuexerunt, qui maximorum ſaxorum molibus,in varios arcus aſſurgentes,Europæo opere, dubium propè faciunt vtri ab vtris didicerint, niſi quod eadem apud omnes natura, ſimilitudinem artis vbique peperit: Agri fertilitas præter vbique communia moreta, bombycibusq; alendis tot educit, vt hinc byſſus propè omnis non Sinicos ſolum fines peruagetur, ſed Patriam egreſſa Iaponiam Indiamque repleat. vniuerſam: E pretio ipſo copiam colligere licebit. Vilius hic byſſo decem veſtias,quam panno iſthic è noſtris vnum. Taceo regia tributa quod breui oratione complecti nequeam, partim quoque quod mei inſtituti hoc loco non ſit,alia cogitantis.

In hanc Prouinciam iam olim noſtri pedem intulerant, qua ex cauſa quoue euentu narrat fuſius Pater Mattheus Ricius, in ea hiſtoria quam de vniuerſa re Chriſtiana ab initio ad eum ipſum annum ſui obitus concinnauit,

nauit,quæ hiſtoria quanquam hoc eodem an-no in Europam enauiget, rem tamen geſtam breuiter attingam, ne Chequianæ expeditioni quæ hoc anno tanto cum fructu retentata eſt, ſua primordia deſiderentur. quæ deinde annuis aucta vt ſperamus incrementis, ſpem ſeminis in meſſe ſuperabunt. In primis huius Eccleſiæ incunabulis, cum iam noſtrorum numerus ad quatuor excreuiſſet, omnino tentabant aliam ſedem figere, præter eam,in qua tum conſidebant. Volentibus Deus hanc occaſionem expediuit. Nam vrbis huius Gubernator cum in aulam pergeret,vnum è Patribus quem ſecum in Patriam, erat enim Chequianus, ac deinde in aulam duceret, poſtulauit; Delectus eſt Pater Michael Rogerius, qui primus è ſocietate noſtra in Sinarum fines penetrauit, cum ſocio Patre Anthonio Almeida recens in hanc vineam tum ingreſſo. Vrbis Gubernator noſtros in Patriam ſecum adductos, in aulam tamen deducere reformidauit; Prouinciæ Metropoli Gubernatoris patria dignitate inferior erat, Xaó Hiñ nomine, propè ſimili cum Cantonienſis proregis ſede,vbi hactenus Patres reſederant Xaó keñ, ſed apud Sinas,parua ſæpe res vocabula diſtinguit, quod nõ raro amphibologiam parit inexpertis. Nullo hîc fructu propè,mẽſes aliquot tranſacti,

ob linguæ inſcitiam & interpretis inopiam, diſfugientibus item Gubernatoris parentibus, concurſu ad externos facto territi. Gubernator igitur reuertens, eos triſtes & inuitos in Cantonienſem remiſit prouinciam. Sic ſe habuit primus noſtrorum in hanc prouinciam ingreſſus, & prima excurſio, nunc ad huius anni res geſtas orationem conuertamus.

Prius tamen quam ingreſſum Noſtrorum in ampliſſimum illud emporium aggrediar, pauca mihi è multis, quæ dici poterāt, ſeligenda duxi; neque enim eſt hoc alienum ab inſtituto, vt ſciatur quanti fuerit in tam inſignem agrum Euangelij fluenta deriuare. Chequianæ Prouinciæ Metropolis Ham ceu Sinis appellatur, abeſt Nanquino ad Euronotum nouem ferè dierum itinere, habet polum ſupra Orizontem eleuatū triginta plus minus gradibus, abeſtque non toto biduo ab eo quod dixi freto. Hæc ciuitas primum toto imperio Sinico locum tenet, nam etſi murorum circuitu anguſtior ſit fortaſſe aliquanto vrbe Nanquinenſi, habitatur tamen omnino frequentius, cum nullus ſit vrbe tota locus inanis, horti nulli, ædificijs omnia occupantibus, quæ quidem ferè omnia ſupra vnam contignationem aſſurgunt, quod alijs Sinicis in vrbibus non eſt ita vſitatum. Incolarum numerus Regiusque ex tributo prouentus ita incredibilis, vt eum referre auſi minimè fuerint, qui eo

ſe con-

ſe contulerunt, licet à grauiſſimis teſtibus acceptum, quod ſupra fidem videretur; neque nos in noſtris annalibus, nonniſi planè explorata inſeremus. Accuratam illius deſcriptionem inſtituere, iuſti voluminis eſſet, hoc tamen initio paucula cupido lectori prælibabo. nihil proculdubio admirabilius eſt ipſo vico vrbis primario, qui in dimidiatum propè diem excurrens, non ſine ſtupore ſpectari poteſt: ſolent Sinæ permultis in vrbibus arcus triumphales quos vocamus extruere, beneficis Magiſtratibus monimentum, vel ſuarum vrbium ornamentum: Hi ſuperbis ſaxorum molibus aſſurgentes vario opere cum ſplendore eius generis & elegantia Europæa contendant. Præter alios permultos tota vrbe ſparſos numerat hic vnus, quem dixi, vicus, minimum trecentos, eoſque tam inſigni cælatos opere, nihil vt addi poſſe videatur: Et ſanè ſi magnificis his molibus, quæ ad latus ſita ſunt ædificia, ſplendore ſui reſponderent, nihil haberet vt arbitror ſimile orbis vniuerſus. Sinæ, qui vtile plerumque præponunt honeſto, omnia mercium tabernulis opplent, domorum magnificentiam in vicorum interiora referunt, quam tamen Europæa palatia longo poſt ſe relinquunt interuallo.

Aliud quoque eſt memoratu dignum. Lacus eſt ſuburbanus, cui metiendo vix intuentium oculi ſufficiunt, is in vallem amæniſſimis

vndique collibus cinctam defluens dubios in ſe oculos rapit, quid primum, quid vltimum admirentur, hanc porro ipſam naturæ elegantiam ars ſuis etiam auxit ornamentis; nam ripas omnes exſtructis villis, conſitis hortis, atque nemoribus, veſtiens, illam ipſam amænitatem ſeipſa fecit amæniorem; ad hæc elegantiſſimus opplet omnia nauigijs, quæ omnem conuiuiorum, ſpectaculorum, ludorum ſecum vehunt apparatum Hîc hæc cæca gentilitas, ducit in bonis dies ſuos, nihil verita, neque gnara, ſe in puncto ad inferos deſcenſuram. Sane nihil miror Sinicum diuerbium quod ad hunc locum explicandum valet: thien xam thien tham, ti xam ſu Ham. ac ſi dicas: quod in cælo eſt cæli aula; hoc in terra ſunt, Sũ Cęu & ham ceu nobiliſſimæ ciuitates: & ſane ſi terræ nomine ſuum imperium vt fere ſuis in libris, vel ſuperbia vel ignoratione, ſolent appellare, nihil mihi videntur augere.

Habet etiam collem vrbe media peramænũ, in eo turris eſt non inelegans, è qua nouo modo horarum ſpatia metiuntur. Artificiũ eſt Clepſidræ veterum ſimile, nam è vaſis ingentibus ex vno in aliud aqua guttatim fluens excipitur, infimo vaſe permagno, in cuius medio eſt erecta ad perpendiculum regula quædam, ſuis horarũ interuallis diſtincta, quæ interualla cum defluēs aqua vel effluens aſcēnſu attingit, aut deſcenſu relin-

relinquit,diem in ſuas diuidit portiones, nam horæ Sinicæ duas explent Europæas, quanquam illa eadem ſpatia, in quaternas diuiſa partes noſtras horas vel integras,vel dimidiatas oſtendũt: ſed quoniam hæc temporis muta diſtributio nihil habet vſus publici; vt ad omnes tranſeat per certos homines ad ſingulas portiones dimidiata quaq; hora è turris feneſtris inſcriptiones quaſdam expromunt, cubitalibus litteris expreſſas, quibus machinæ ſuæ curſum cum ſole conſpirantis euulgent. Hoc artificium huic vrbi peculiare, Sinæ ab indigentia noſtræ artis mutuati ſunt. Non temerè opinantur Patres publica auctoritate ſedem hîc & templo & domui impetratum iri,horologio aliquo iuſtæ magnitudinis ex Europa aduecto, & huius vicem collocato, cum Sinarum approbatione & rerum eiuſmodi admiratione : ex hoc colle in totam ciuitatem quod mirêris,proſpectus eſt.vicis omnibus, cōſitæ ad vmbram arbores,horti peramæni,etiam vbi nullus eſt,ſpeciem exhibent;riuulis,ſtagnis, lacubus,fluminibus,vel vrbanis,vel ſuburbanis ſcatet,vt nihil vltra delineare Platonicus aliquis idæarum effictor queat.

Idolorum fana nihil attingo ,tot enim ſunt ac talia,quot & qualia ab opulentiſſima ciuitate maximeque gentilibus ritibus addicta,licet expectare ;& hanc quidem in idola propenſionē

toto Imperio maximam, non ſolùm nihil obſtare rei Chriſtianæ,ſed etiam prodeſſe,non parum, vſu magiſtro didicimus: quo enim magis hic profanus cultus friget, Atheiſmus, maius malum,acrius viget, ibique maior ſalutis incuria,maior vitæ melioris ignoratio, quod alte in Sinica,maximè magnatum, ingenia penetrauit; contrà vero cum ſanctiſſimæ legis noſtræ tanta ſit cum ratione conſenſio, & gentilicarum fabularum tanta ſit inanitas, ingenia Sinica ſanè perſpicacia & veritatis amica (quæ ideo in Atheiſmum degenerarũt,quod nihil ſolidi habeant in quo conquieſcant) ſi dictis aures,auribus animum adiecerint, facile rationi, facile cedunt veritati. Hoc quam verum ſit ex hac ipſa narratione conſtabit,nam paucis hic menſibus plures Chriſto adiuncti ſunt iungenturque,quàm alijs in vrbibus poſt annos aliquot perfectum ſit. ad hæc etiam iuuat innata genti facilitas, vulgo celebris,& ingeniorum in paucis bonitas, qua freti his temporibus,primas è reliquis ferunt, in ſuis illis ad Doctoratum examinibus: ad quæ dum totius regni ſelectiora ingenia conueniunt, plures ex hac Prouincia, & potiſſimum ex vrbe hac, quàm ex alia qualibet, gradum ſortiuntur. vnde omnium eſt conſtans opinio litteratum florem apud Chequianos hodie eniteſcere maximè. Sed de his ſatis, nunc tempus eſt vt quæ noſtri ſunt inſtituti propria, perſequamur.

Trien-

Triennium eſt & amplius ex quo noſtri in hoc nobiliſſimum emporium à grauiſſimis Magiſtratibus inuitati, iam ibi ſedem fixiſſent, ſi licuiſſet omnino per operariorum paucitatem. Nanquini demum hoc anno res hac occaſione perfecta eſt. Cum Pater Nicolaus Longobardus viſitationem, vt dixi, inſtituens, ibi ageret, inuenit Leonem noſtrum, qui tum ibi munus gerebat publicum, atq; præter multa in hanc domum beneficia, ſerio vrgebat ipſe quoque vt in patriam, eſt enim ciuis Hancianus, vnus aliquis rei Chriſtianæ cauſa mitteretur, quam expeditionem iam ille diu cum Nanquinenſis domus ſuperiore deſignarat, ſed ante non impetrauit quam Parentis obitu domum reuocatus triennium in luctu degere cogebatur; viſum eſt enim Patribus, rem tanti viri auctoritate fultam minimè differendam, maximè cum ille domum, ſupellectilem ſumptúmque omnem liberaliter offerret. Parentis morbum vbi audiuit Leo filius, nihil prius habuit, quàm æternam illius ſalutem quàm celerrimè, in tutiſſimo baptiſmi portu collocare; ſed obtineri non potuit, commune vel filij vel noſtrorum votum: Nam Pater qui eo proficiſcebatur, mortis acceleratæ nuncium triſtem pro Nanquinenſibus muris accepit, ſolatio tamen fuit audiſſe nos poſtea ſenem Catechumenum vitæ veteris maculas, baptiſmo quem habebat in votis, vti ſperamus,

eluiſſe, ſalutarisque fontis beneficio minimè caruiſſe. Nam cum lethali morbo decumbenti adeſſent nepotes duo filij Leonis, & alter eius propinquus, iam olim cum Leone Pequini baptizati, non deſuerunt officio ſuo; ſæpe querentem ſenem quod ſine baptiſmo moreretur, docentes, Deum eo in articulo, bonæ voluntati non deeſſe. In ſpem erectus ſenex quærit, poſſit ne eſſe Chriſtianus tot onuſtus criminum pondere? cumque annuiſſent, eum pro tempore & captu ſuo docuerunt. Ergo iam moribundus ſenex omnino ſibi perſuaſit, eſſe ſe Chriſti è grege, idque inuiſentibus omnibus prædicans, denique expirauit, magna ſpe nobis relicta, à Deo intus ſuppleta, quæ foris defuère. Et quanquam non ignorabant Neophyti ſingulis conceſſum, deſideranti in hoc articulo baptiſmum conferre; tamen ex ignoratione formæ, quæ latino idiomate Sinicis characteribus, vt initio dixi, erat expreſſa, id perficere magno ſuo mærore minimè potuerunt. Hanc Parenti ſpem ſalutis datam vbi audiuit Leo filius, gaudio exultauit, nondum enim alium præter fluminis, vt Theologi vocant, baptiſmum audierat.

Mortuo Parente omnem Leo mouit lapidem vt miſſionem ad ſuos impetraret: cumque viderent Patres, eius trienni præſentiam, ei ſedi firmandæ futuram, ampliùs tergiuerſandum

dum non cenſuerunt. Per eos dies Nanquinum P. Lazarus Cataneus ab ſuperiore euocatus eſt Xam haio, quo in oppido iam biennium & amplius rem Chriſtianam curabat, à Paulo noſtro paterni funeris tempore inuitatus, ad vniuerſam familiam Chriſto adiungendam; quod cum facit, alij quoque complures Chriſto nomen dabant, vnde qui menſium duntaxat aliquot excurſionem cogitauerat, propè ſedem fixerat: Oppidum etſi per magnum eſt, tamen in tanta noſtrorum paucitate, non videbatur aliarum Nobiliſſimarum ciuitatum, quæ iam diu noſtras expetunt inuidiam poſſe ſuſtinere, adde quod ex Hanceana ſede, quæ triduo vix toto abeſt, noua hæc ſoboles Chriſti curari poſſet: delectus igitur eſt, in nobiliſſimam expeditionem P. Lazarus Cataneus, eique ſocius datus Pater Nicolaus Trigautius qui hoc ipſo anno recens ſociorum numerum auxerat; His quoq; duobus vnus è fratribus, Miſſionis antiquiſſimus acceſſit, Leo voti iam compos, Patres poſt aliquot dies comparatis rebus ſubſecuturos, ad ſuos præceſſit.

Nanquino in Hancianam vrbem nauigatur initio, magno illo flumine, quod ſupra dixi, maris filium nuncupari; Inde in diſtractos arte fluuios iter inſtituitur tam frequentibus itinere toto vrbibus, oppidis, pagis, facilè vt iudicari poſſint, nihil eſſe toto regno populoſius; quæ

Meſſis

Meſſis, Deus bone, cum omnis maturuerit, quantopere Chriſti horrea ſtipabit! Medio itinere vbi Nanquinenſis Prouinciæ limites cum Chequianis communes ſunt, ciuitas eſt illa Su ceu nomine, ea, quam Sinicum adagium, æquè cum Hanceano Emporio, terreni Paradiſi, nomine nuncupat. Intra continentem ſita, maris tamen ſpeciem refert, tot enim fluuijs, lacubus, riuis, ſtagniſque diſtincta, vt altera Venetia, ſed in mari potabilis aquæ, fælicius conſtiterit. Portûs frequentia & nauigiorum omnis generis, oculorum propè dubiam fidem facit. Dicas totius regni nauigia ad frequentes aliquas huc nundinas commigraſſe; veruntamen ita perpetua eſt, vt in quotidiano acceſſu diſceſſuque credas nauigia nunquam inde dimoueri: ſanè quod Luſitani dicere ſolent, viſa ſolius portus Cantonienſis frequentia; tot ſcilicet in hoc vno regno nauigia quot in reliquo terrarum orbe poſſe numerari; non nimis hyperbolicè dictum videtur ijs qui reliqua emporia conſpexerunt, ſi quidem de fluminum nauigatione ſit ſermo: ſed quis finis, ſi omnia perſequar?

Huius expeditionis primitiæ ſunt, in itinere Chriſto adiunctus Nauta, qui Patres vehebat, ſenex ille iam cuique inualitudo & morbus, ſenectutis comes vicinam mortem minabantur, baptizatus eſt domi ſuæ cum vxore itidem vetula, quod ex itinere pagus occurrebat. & ſanè

res

res erat ſolatij cæleſtis plena, ſub meridiem eò appulicantibus,ac in terram exſcendentibus Patribus, baptiſmi causâ, tam ſubito famam diditam,vt ante noctis tenebras complures ad quærendum audiendumque aduenerint, ſi moram ibi feciſſent,Chriſto quamplurimos adiunxiſſent, ſed hoc coniugum pare contenti,quam modò excolere non poſſent, plantationem omiſerunt. In his eò erat minus periculi,quò minus vitæ. porro illi Patrum iam vicem, quæ didicerant, è Neophytis facti præcones edocebant, ſcilicet ſignum crucis efformare, Deum vnum colere,cuius effigiem,in idolorum flammis abolitorum locum,Patres ſubrogauerant.

His primitijs læti, tandem aliquando peracta nauigatione Hanceanum portum tenuerunt,cuius eſt ea commercij frequentia, vt præ illa, infrequens omnis antehac alibi viſa frequentia habeatur. exſcendit primus frater noſter Patrum comes,Leonem de Patrum aduentu facturus certiorem, & magis oculis ipſis exploraturus,an domus illa, quam parauerat Leo, vſibus ac miniſterijs noſtris, eſſet accommoda: Si enim nihil dum per funeris occupationes Patribus excipiendis parauiſſet,ituri erant interim in ſuam domum Xam-haianam. iuit ac redijt, nuncians ædes illi eſſe ſuis contiguas, vrbe media amplas illas, nec vſibus noſtris incomodas, ſubſequitur mox qui Patres in Portu exciperet,

quod

quod ipſe, per funeris leges, domo ijs diebus egredi nôn poterat. In vrbem minore nauigio inuectis, cum exſcenderent, res accidit ſanè memorabilis, qua Deus colonos ſuos bono omine compleuit, primus enim cum quo ſermonem contulerunt, fuit iuuenis quidam, quem eo Diuina bonitas, nõ caſus, adduxerat, qui ex inſolito Patrum vultu, quod erat, coniectans, acceſſit, aſſerens ſe iam Doctrinæ Chriſtianæ capita memoriæ cõmendaſſe, inanium Deorum ſimulacra flammis abſumpſiſſe, paratumq; eſſe ad reliqua omnia, quæ à Chriſti cultoribus exiguntur. hic à Leonis propinquo, qui eius parenti, dum animam ageret adfuerat, Chriſto iam præparatus, deinde inter primos baptizatûs, Neophytorum numerum propè inchoauit.

In Leonis noſtri ædes deducti funebres primûm de more ritus, expleuerunt, triduo ferè quieti & hoſpitij ritibus dato, priusquam aduentus ſui fama multos euocarent, viſum eſt P. Cataneo Xamhianæ domus ſupellectilem, in nouam ſedem transferendam. eo igitur ſe contulit reque Chriſtiana compoſita, Neophytos ſolatus partim maioris obſequij Diuini nomine partim annua viſitatione promiſſa magnum ſui deſiderium reliquit, res Chriſtiana in hunc eſt inſtituta modum: ipſa domus, quæ erat Pauli noſtri, ſuum vſum, aram effigiemq; ſeruatoris, cum omni neceſſario apparatu retinebat, in eum

locum,

locum, certis diebus orationis causâ conuenire iubebantur, relicto qui hæc curaret, adminiſtro. Incredibili vtrimque doloris ſenſu digreſſus, ad ſocios in Hanceanam ſedem eſt reuerſus, dimiſſo eo fratre, quem hactenus habuerat, in domicilium Nanquinenſe. Ex itinere inuiſit quoque Doctorem Ioannem illum inſignem Neophytum, qui anno ſuperiore cum grauiſſimum, qualis apud nos eſt cancellarij, gereret Magiſtratũ in Repub. Nanquinenſi in Chriſti gregem cooptatus fuit. Exceptus eſt ab eo Pater perhumanè mireque viciſſim à Patre in officio eſt confirmatus, nec officijs domeſticis contentus, cum Pater iam abire pararet ad nauigium venit officij cauſa, mirantibus cunctis, quis tandem eſſet ille quem vir tota vrbe grauiſſimus tantopere coleret. Hæc quoque ciuitas, Patrium Ioannis noſtri ſolum, vna eſt è reliquis quæ toto imperio nominantur, celebris commercio, multitudine, opibus: Etiam hoc loci, niſi operariorum penuriá reique familiaris prohiberemur, ſedem figere liceret, magno rei Chriſtianæ fructu; & ſanè res eſt multa comploratione digna, tot præclaras expeditiones neceſſario deſeri, tantam vbiq; meſſem ſilueſcere, ex vna illa pæne dicam cauſſa, quòd nondũ ſatis in Europa ſciatur quo res Chriſtiana ſit in his regionibus loco; quod ſi plane intelligeretur, iam dudum niſi fallor ſubſidia neceſſaria pararentur.

Sed

Sed ad rem redeo: abſente Patre, ſocius qui Hanceani remanſerat, occultus, vti maximè voluit eſſe, ita minimè potuit, multi hoſpitis familiares, ad eum viſendum veniebant, quos interprete fratre Noſtro, ipſe adhuc idiomatis imperitus, excipiebat; ſed potiſſimum quotidianæ inſtituebantur cum Leone confabulationes, cuius eſt rerum noſtrarum cognoſcendarum auiditas incredibilis, earumque cognitarum longe maior admiratio; ſæpe dicere aſſolet, noſtris neceſſario Sinas videri, quod Sinis Tartari; id eſt barbari ac rudes; ſibi verò videri Sinas noſtris collatos, eſſe velut pueros, qui totam ætatem in characteribus effingendis, & grammatica vel ſummùm eloquentia terunt, Europæos in profundiſſimis ſcientijs occupari. Sanè ingenui ſunt Sinæ, quos ſola meliorum ignoratio ſuperbos facit. acceperat Nanquini à Patre dono, exiguum, ſed elegans, horas rotis ac ponderibus metiens inſtrumentum, illius fabricam attentiſſimè intuens, rotarumque inter ſe certis ſpatijs voluentium Symmetriam, libello elegantiſſimè edito, vt aſſolet, hoc artificium euulgauit.

Interim reuertit Cataneus, ſed priusquam aggrediar ea quæ à Patribus ibi Deo auſpice geſta ſunt, omnino duo non poſſum omittere, quæ ante eorum aduentum contigerunt, ex his enim videre licet quam albæ iam ſint iſtæ regiones ad meſſem.

Parens ille Leonis noſtri, cum exſpiraret, habuit hortatorem præter duos Nepotes, propinquum vnum vt dixi, cuius Parens Catechumenus quoque obijt. Is audito ex Patribus de baptiſmo in voto, narrauit quoque rem admirabilem, quæ ſuo parenti contigiſſet. Cum enim agnita iam fidei noſtræ, cuius myſterijs Pequini fuerat imbutus, veritate, in patriam redijt, cæpit eam quibus potuit perſuadere; ac primum parentem adduxit vt idolis igni traditis, fidei noſtræ capita memoriæ commendaret, Deumque vnum coleret, præſtitum hoc à parente amplius biennio ante Patrum aduentum, & potiſſimum roſarij capiebatur quotidiana recitatione: cum porro die quadam ſeſe negotiorum cauſa, in vicinam vrbem contuliſſet, in prædones incidit, qui eodem vecti nauigio, inque vectorum fortunas intenti, hunc ſenem nummatum eſſe rati exſcendentem ſubſequuntur, comites itineris adiuncti; quærunt primum quis? vnde? quo? decurrebat tum fortè bonus ſenex calculos precatorios, ac ſenſit veluti diuinitus, hos eſſe latrones. Itaque ſtatuit minimè interrumpere orationem eo potiſſimum tempore, quo tantopere Diuinæ opis indigebat; ſilentium ſenis, vt erat, latrones ſua conſilia patefacta interpretantur, eum igitur aggreſſi, mortem niſi nummos proferat, minitantur, verum ille intrepidus, orare pergit, ſatis certus à cælo

auxilium ſibi illius affuturum, cuius ipſe recens fidem tanta erat voluntate complexus. nec defuit Catechumeno ſuo euocatum tanta cum fide ſubſidium. Nam cum ille vim latronum neque verbis neque vlla vi propulſaret, incertum qua ex cauſa, diuina proculdubio eos arcente manu, multi ab vno, armati ab inermi, prædones à nummato nulla facta iniuria receſſerunt. Tam præſens Dei auxilium ille in reliquam deinde vitam, beneficio ſuo gratus euulgabat; ſed breue curriculum fuit, nam cum iam biennium magno Patrum deſiderio, hac ratione traſegiſſet, demum obijt, ſed ita vt ſpem certam fecerit baptiſmi voto vim ſuam minimè defuiſſe: certior tamen fuit ſalus ſororis eiusdem, quam iam fidei noſtræ Myſterijs imbutam, ſubita ægritudo corripuit, ita ex inopinato, vt ad morientem Pater, qui iam aderat euocari minimè potuerit. Interea frater, iam baptizandi formam edoctus, ſororem ſalutari fonte expiauit cæloque parenti comitem vt ſperamus immiſit; hic iuuenis, vt ſe dant principia, videtur palmam de reliquis in re Chriſtiana iuuanda laturus, nam & alios deinde multos in Chriſti gregé allexit, alterius Neophyti heroicum ſubnecto facinus, quod ille quoq; Patribus narrauit.

Hanceanus hic ciuis, Pequini quoq; à noſtris ſacris initiatus, cum in patriam rediſſet, facile oſtendit, quàm altè in animum Diuini verbi ſemé receptſ-

recepiſſet:cuius cùm filius in morbũ incidiſſet, adduci omnino nõ potuit, vt pro eius ſalute vota ritu nefario nuncuparet, vxor etiamnum ſuis erroribus irretita, filij ſaluti metuens, abſente marito in vicinum idolorum fanũ eum deferri iubet, ibi certis deprecationibus ac ritibus ab ijs qui vitæ mortiſq; ius non habent filiolo, vitam poſtulat prorogari; domũ redit Maritus, & rem neſcio qua ratione adoratus, nõ increpita ſolum vxore, ſatis vni Deo factum ratus, in fanũ excurrit zeloq; quo correptus erat, idola corripit & ad terram alliſa cõminuit, vt pateret quam ſalutem ſperare ab ijs deceret, qui ſe ab interitu vindicare non poterant; inde victor domum repetit, filiũ ſaluũ incolumẽq; admirabiliter reperit; neq; enim poterat tanta fides ſuo fructu fraudari.

His ac ſimilibus, è cælo ſubſidijs, viam Euangelio Dominus præparabat, quod quem curſum tenuerit poſtea quam illius præcones aduenêre iam dicemus. Nondũ Deo ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium obtulerant Patres, quod omnis ornatus ſacer è Xamhaiana domo aduehendus erat. Is vbi aduenit erecta domi ara priuata, ſacro Archangeli Michaëlis die, octauo Idus Maij, quem huius expeditionis tutelarem aſciſcebant, Deo primum ſacrificium obtulerunt: cui Leo cum filijs ac reliquis è familia Neophytis interfuit, eo peracto, Patres feſta induti veſte, qua grauiores hoſpites vel excipi vel viſitari mos eſt, hoſpiti ſuo gratulatũ iuerunt, ædes ſuas præ

reliquis Hanceanæ ciuitatis à Deo electas, vt in eo ſibi tam anguſtum ſacrificium offerretur, inſuper monuerunt accitum à ſe in expeditionis huius tutelarem, qui Eccleſiæ toti præeſt tam militanti quam triumphanti, vt hanc nouellam plantationem peculiari fauore promouendam aſſumeret, quemadmodum in eum diem qui eſt toto orbe Chriſtiano ſacer, huius vt ita dicam Eccleſiæ, prima conſecratio incidiſſet. Vtque tam inſigne beneficium aliquo, tanquam memoriæ adminiculo, ac monimento teſtatum haberet, perelegantem ei cæleſtis militiæ principis icunculam tradiderunt. Nec Leo ſibi defuit, nam beneficium ac donum Deo, patribusque gratulatus, ipſe quoque excogitauit, qua ratione tam illuſtri Dei beneficentiæ gratiam, non haberet ſolum, ſed redderet. & ſanè, vt eſt ſolers non aberrauit: nam intra dies paucos aliud quoque ſolemne ſacrificium ſacrificio reddidit. Ea Dominica, quæ anguſtiſſimæ Trinitatis feſtum colit diem, Patres ad ſacrificium quod Deo parauerat, inuitauit; præfatus enim indignum ſibi videri quibus in ædibus vni Deo talis victima litabatur, inanium Deorum ſimulacris immeritos honores exhiberi, ea omnia in exſtructam lignorum ſtruem, nec pauca nec vilia, conijci iubet, tota iuuante inſpectanteque familia: ea ſimulacra ſuum hactenus domi tenuerant locũ, quod Mater & vxor acceptam à maioribus falſitatem

ſitatem nondum dimiſiſſent; Ipſe verò ex quo Chriſtiana ſacra ſuſceperat, hactenus domo abfuerat publicis muneribus, quæ nemo intra prouinciam ſuam gerit, impeditus. In eorum verò locum eius effigiem qui ſolus colendus eſt reſtituit, iuſſitque ab vniuerſa familia illum vnum coli, erat illa non inelegans nec parua effigies, quam Nanquini à Patre dono acceperat, ſed ipſemet etiam pictoris artem Theca vel opere vel auro inſigni cohoneſtauit; gratiſſimum fuit hoc Deo, Angelis hominibusque ſpectaculum, & ſane ſunt non malè quæſitæ per tot Maria delitiæ, nec enim Dominus indonatos eos dimittit, qui ereptos ſibi honores omni ope reſtituunt. Pyræ locus, qua ignibus damnati in ſuos ignes redierant Sycophantæ, erat area propter aulam, quæ aduentantes hoſpites accipit, ad quam cum eodem die grauiſſimi aliquot conueniſſent, fauillam conſpicati, quæſierunt è Leone, quid hoc ſibi vellet incendium? quibus ille hodierna, inquit, die Chriſti ſeruatoris effigiem toti meæ familiæ adorandam expoſui, & eos qui falsò à nobis pro dijs habentur, ignibus abſumpſi, quæ res de rebus noſtris ſermonem aperuit omnibus rei nouitate defixis.

Nondum Patres domo egreſſi, ea ſe conſulto continebant, neque enim decet vili te pretio venalem Sinis exponere, ſi tua magnifieri voles; tota vtique gentilitas Chriſtianæ modeſtiæ

ignara,neſcio quam exigit Maieſtatem. Adeò vt magis fama domeſticis clauſos parietibus breui tota vrbe circumduxerit, quàm ſi prodiiſſent vltrò ſpectandi; veruntamen, vt ſolet de ſuo ſemper aliquid addere, ſparſit ridiculum de Pátrum aduentu ſermonem. perſuadent ſibi anilibus deluſi fabulis Sinæ,Deos ſuos quos Foe vocant, nonnunquam prouincias vrbesque luſtrare,vt populi malis medeantur; euulgatum eſt igitur in Ciuitatem adueniſſe duos foe,humana ſpecie viros,eos apud vnum è Ciuitatis optimatibus diuerſari. Ad Patres delatus rumor, riſum mouit, arbitrantes id aliquod infimæ plebeculæ aniculas fortè ſomniaſſe; ſed ſenſim ea fama ſerpens, iam à vulgo in ipſorum Magiſtratuum tribunalia penetrarat, nam eo fere tempore, vnus è quatuor Ciuitatis Gubernatoribus Doctor Sinicus, Patrum hoſpiti Leoni, in hanc ferè ſententiam ſcripſit; audio domi tuæ Deos ipſos diuerſari hocan ita ſit,cupio ſcire,& num viſitari,quoúe ritu poſſint. Schedulam ad Patres attulit Leo noſter, quibus ægrè fecit, inanem famam & ridiculam opinionem, tantopere inualuiſſe. Reſpondit Leo, veniſſe ad parentis ſui funus proſequendum Nanquino viros duos graues ac litteratos è remotiſſimis regionibus aduenas; poſſe, ſi velit, eos viſere,quo ritu viri graues ac litterati ſolent. Nec diu diſtulit,magno enim

enim comitatu venit, cum alio quoque docto-re, ſuo amico. Viſitationis porro libellum, præter morem eorum, qui Magiſtratus gerunt, ita inſcripſit, qua ratione diſcipuli Magiſtros ſolent compellare; in congreſſu vidit res noſtras; Chriſti ſeruatoris effigiem, ritu qui apud Sinas ſummus eſt adorauit; omnia demiratus, Patrem deinde viſitationis vicem rependentem excepit perhumanè, & oblatum ab eo munuſculum, ipſe alio deinde maiore, magna pompa compenſauit. hæc ſub initia multum ad auctoritatem valent.

Sed non fuit ſine fructu rumor, neque omnia intra vrbanitatis hæc officia ſe tenuêre: primus qui Patrum manu ſalutari fonte elutus eſt, Parens erat cuiuſdam Neophyti Pequinenſis, tam diuturna à Deo vita donatus vſque dum in morte renaſci poſſet: ſucceſſit ei Baccalaureus quidam ſenex, patruus noſtri Leonis, quem is iuuenis, de quo ſupra, eiuſdem quoque nepos, iam ante promouerat, qui penitus Patrum colloquijs victus, manus dedit. Inde aliquot è Leonis familia Chriſto nomen dedêre: Hæc vulgaria, quod ſequitur inuſitatum eſt diuinæ prædeſtinationis exemplum.

Ibat forte frater Noſter per vrbem ad certa negotia puero comite, quorum

neuter vicos viasque callebat,diu, vt in magnis Emporijs accidit,vagus oberrans. Verum ſi non erraſſet fecerat ille minus, fortè enim ſplendidum idolorum fanum ex itinere conſpicatus viſendi gratia introiuit; iacebatque ſub obuia porticu mendicus, cuius egeſtate conſumpti vultum prope dimidiatum cancer exederat: cōmiſeratum ſpectaculo noſtrum hæc cogitatio ſubit tentare ecquid animo prodeſſe poſſet, cuius corporea ſalus iam eſſet deſperata: verùm arbitratus hunc hominem hebetem atque obtuſum, vt ferè ſolet hoc hominum genus, nec facile tam breui temporis interuallo ea in animum admiſſurum, quæ ad ſalutem neceſſariò requirūtur, abibat: interim,vbi acribus intus agitatus conſcientiæ ſtimulis,redire coactus,hominem aggreditur, reperitque virum olim copioſum, in has anguſtias vi paupertatis morbique deueniſſe; tum ſermonem de altera vita inſtituit,de Deo deque ijs omnibus quæ proponi Chriſti tyronibus ſolent ac debent. Erat homo acri ingenio facileque veritatem excepit, mirumque deſiderium legis tam ſanctæ ſuſcipiendæ præ ſe tulit. Omiſſis ergo alijs frater noſter negotijs,quorum cauſſa exierat, totus in eo inſtruendo fuit, quem ſic inſtitutū,ut tempus ferebat,ne in mora periculum eſſet, magno vtrimque gaudio baptizauit; porro pecuniola donatum deſeruit,quam cum ingenuus mendi-

cus ac-

eus acciperet, aiebat, itáne verò nondum fuit ſatis, mihi per te viam ad beatitudinem cælumque patuiſſe? etiamne auges beneficentiam? non arbitrabar tales in hac orbis fæce viros reperiri. Eodem poſt dies aliquot reuerſus, adhuc viuum repertum, in ſuſcepta religione confirmauit, & cum viuere non poſſet, mori docuit. Tertio iam eundem cum requirit, elatum reperit, cuius vt credere par eſt animus ad meliorem vitam euolauit; ſane, ſi hic vnus ab ipſa Europa quæreretur quam bene eſſet omnis labor collocatus.

In hoc proſpero rerum curſu, ædes quas Patres incolebant, cetera commodæ hoc vno incommodabant rei Chriſtianæ quòd in eas aditus non pateret niſi per Leonis penetralia, ad quæ vti facile admittere fuit hoſpitis familiares, ita alius de plebe vix audebat ingredi, grauiſſimos Leonis Magiſtratus veritus: ſin celebrior aliquis, nolebat is, fortaſſe, prius Leoni viſitationis velut tributum pendere, quàm Patres conueniret. Et hic erat omnium vnus ſermo: Itaq; Patrum hoſpes, ædes ſuas ſuburbanas offerebat ſed eæ, ſuper eius, quem dixi, lacus ripam, ludibundorum importunitatibus expoſitæ erant, procul ab vrbe tota, fere leuca. Alias habebat duplo longius in amæno colle extra omne commercium, niſi quod à latronibus aut Deorum ſacrificulis periculum timeri potuit: vicinum enim erat fanum, peregrinorũ concurſu nobile

P 5 adden-

ad denſum nemus, cuius nemoris rupes eo ipſo in loco, quem illis natura dederat, in lapideos Deos arte exſculptæ, antiquam aduenis religionem mentiebantur. Verum enimuero Deus qui hunc Patrum aduentum, aliò ijs inſcijs dirigebat, ædes deeſſe, & hæc incommoda pati permittebat. Nam hoc ipſo tempore, grauiſſimum Neophytum, huius Eccleſiæ alterum lumen futurum, dedit; quod in hunc ferè modum contigit. Quo tempore Patres in Leonis ædibus diuerſabantur, id bimeſtre fuit, nonnulli Ciuitatis primores, olim ſummis in republica muneribus perfuncti, eos adière; eos inter fuit vnus cognomento Yam, poſt hac Michaëlis nomine, quod in ſacro fonte ſuſcepit, appellandus. Hic Sinicus Doctor, rara indole & nota ingenij bonitate ampliſſimas diuerſis in locis geſſerat dignitates, ipſoque Leone maiores, nam litteratorum examinibus profuerat, & bis prouinciale luſtrum viſitator peregerat; modò domi agebat priuatus, quod vtrumque parentem annis morbisque ſenilibus debilitatos, debitis obſequijs foueret; quod niſi fecerint Sinæ primates, æmulorum machinationibus, vitio id eis ſæpe vertitur, & eos ſuis muneribus, impietatis conuictos, in perpetuum exturbant. Ad hæc eas habebat opes, quibus vulgo, ſi minus primas in opulentiſſima ciuitate, certè

ſecun-

ſecundas obtinere ferebatur. Is igitur haud dubie Diuino inſtinctu in Patres incidit, & primam ex ea collocutione Diuinę lucis aſpexit auroram: ſed cum ei viſitationis officium domi rependeretur, latius ſeſe diffundere ea lux cœpit, & ſui deſiderium excitauit, vt propius aſpiceret verũ, rationis lumen facem aliquam veritatis lumini præluxit. Itaque totum eum diem Patrem epulo exceptum domi detinuit, nullum quærendi finem faciens, nullum audiendi, inde, vt fit, ſermonem alium ex alio trahens, ſciſcitatur eſſetne Patribus animus ſedem in ea vrbe figendi? Reſpondit Pater veniſſe ſe amici Leonis parenti iuſta perſoluturos, eo tamen animo, vt vbicunq; ſpes affulgeret legis Diuinæ, quam inde ab extremo occaſu per tot maria tuliſſent, dilatandæ, ibi ſedem collocarent: Rurſus num ſuas ædes habeant, rogat; ſubijcit Pater, Doctori Leoni, hoſpiti noſtro rem eam comiſimus, quanquam ædes habet ille noſtris vſibus parũ accomodas: mox hic villam ſuam ſuburbanam omni ſuppellectile inſtructam & vrbis mænibus aliquato viciniorem offert liberaliter. gratiam habuit Pater, aſſerens, nihil ſe per hoſpitij leges, ſine Leonis auctoritate poſſe moliri. domum reuerſus, rem ſocijs narrat, qui arbitrati parum præter verba fore, ſtatuerunt nihil mouere, ſed quam non vana fuiſſet liberalitas, dies inſequens patefecit; nam ſchedulam ad Leonem mittit, qua rogat vt quoniam ædes haberet minus

commo-

commodas ſuis hoſpitibus excipiendis, interim dum ſe remitteret æſtus, faceret ſibi facultatem eos in ſuam villam abducendi, hanc ſchedulam Leo ad Patres defert ſciſcitatus quid reſponſi dari vellent? illi re prout erat narrata, aſſerunt ſe in eius eſſe poteſtate, nihil ſe ſua auctoritate facturos; Leo re deliberata demum fuit auctor patribus, tantiſper dum æſtiui ſolis intemperies deferueſceret liberalitatem admittere. Satis intelligebant Patres, neque has ædes quæ media leuca à mænibus abeſſent, ſibi aptas, qui non venerant ad fallendos æſtus in villis ſuburbanis; tamen cœperunt Diuinum conſilium aſpicere, cuius ductu tantus in fidei retia piſcis prono impetu ferebatur: ſic enim ſtatuebant ſe, vt aliud nihil facerent, aliquot tamen menſium operam bene collocaturos, ſi nouum ſuum hoſpitem in Eccleſiæ ſagena concluſiſſent: In eam ergo villam menſe Iunio demigrarunt, cui ad amænitatem non horti, non ſtagna, non agri, nihil denique deerat. excepit nouus hoſpes ea ædium parte quæ abundè ſufficeret; in aliam cum ſuis ipſe ſeceſſit.

Hanc hominis Ethnici DEVS in Euangelij ſui præcones beneficentiam, mox cœpit remunerari, illud quod per Euangeliſtam promiſit, re complens, quotquot autem ſuſceperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: agebat plerumque cum Patribus, nam vrbana ſeponens

negotia,

negotia,legis noſtræ veritatem in otio ſuburbano explorabat; totus erat in quærendo, ac vt erat acri ingenio,non facile auditis acquieſcebat, ſed ſupra quam Sinicum fert ingenium diſputabundus (ipſi enim ferè diſceptationes in iurgia reponunt) omnibus contradicebat, nonnulla etiam modeſto excipiens riſu aſpernabatur; hæc diſceptatio multos dies ita tenuit,vt in mediam noctem aliquando traheretur, in ea diſputatione multa annalibus digna contigêre; ſed ex ijs tria ſeligo,eo conſilio vt intelligat Europa Sinenſium litteratorum ingenium,qui nec audito ſacræ Theologiæ nomine,norunt ipſos difficultatum nodos ſtringere.

Inſtitit igitur maximè in tribus rerum, quas audiebat capitibus, primo iniquum illi videbatur omnem idolis cultum negare. Deinde in incarnationis Myſterio multa obijciebat abſurdas denique corpora vt æternum beatè viuerent, vitæ reddenda negabat: & primum quidem non ita eſt abſonum vt ſonat, Neque enim ille vel vnum eſſe numen negâbat,quòd ipſum Confutij litteratorum Sinenſium Magiſtri, ſchola docet, non admodum obſcurè:neque ille Diuinos honores idolis exhibendos contendebat, ſed quoniam ij qui nunc à vulgo pro dijs coluntur, homines olim fuêre virtute præditi,qui multa virtutis documenta poſteris reliquêre, hoc nomine cultum illis omnem politicum negare, videbatur

tur iniuſtum; & ſanè quæ de ſuis Idolis illi fabulantur non ſunt, qualia de antiquis illis criminum patronis noſtri Poëtæ commenti ſunt; omnia ſpeciem aliquam habent, ſaltem mentitæ pietatis; neque adeò lumen apud Sinas naturæ extinctum eſt, vt humana ſcelera minimùm auctoritate tuenda velint. Huic nodo, hic nobis apud Sinas cuneus eſt. vna (vt ipſi Sinarum libri volunt) eſt veritas, eaque nullis admixta mendaciorum fæcibus. Cum igitur tot apertè falſa, & omnium litteratorũ iudicio abſurda prædicent, nihil eſt quod veritatem docuiſſe ſed potius falſitatem texiſſe credantur: Ad hæc quando in ſuis ipſi ſcriptis, vnius numinis meminerunt; quæ illi templa, quos ritus inſtaurarunt? omnia fana ſibi ſuiſque ſequacibus erecta cultum omnem in ſe auerterunt? qui fieri ergo poteſt vt his virtutem & honores virtuti debitos attribuamus, qui numini fuêre tam infideles? his alijsque rationibus ita permotus eſt, vt demũ dignum ingenio ſuo diuina iam luce colluſtrato protulerit Epiphonema. ô vanum meum laborem, quo indebitos ijs honores tuear, qui Deo debitos ſuſtulêre!

Cum ventum eſt ad incarnati verbi myſteria, crucisque ignominiam, ex templo reſilijt, ſerioque ſuadere cæpit, vti tam alta, tam ſublimia, tam Deo digna de Deo locuti, ea his ineptijs ne contaminaremus. Ecquis credat Deum

è ſua

è ſua Maieſtate deturbatum in hanc noſtram deſcendere vilitatem, nec deſcendêre ſolùm ſed indigna à viliſſimis homuncionibus tolerare, quæ vel infirmitatem vel amentiam, vtramque Deo indignam denotarent? ad hæc naturæ lumine, vt apparet nota; ſic occurſum eſt: Diuini quidem cõſilij rationes in noſtram omnino cadere non poſſe ruditatem, ſed tamen ea quæ ingenij mortalis aciem, imortali luce adiutam minimè effugiunt, ad tria poſſe capita reuocari: Primũ igitur comunis parentis lapſum, in omnes ipſa naturæ lue deriuatum, hoc eguiſſe remedio demonſtratum, ne miſeratio iuſtitiam, iuſtitia miſerationem, ambas veluti numinis manus, alteram altera ſuperaret: Inde oſtenſum eſt, inolitos orbis errores, hoc vno Magiſtro tolli potuiſſe, quis enim inopiam opibus, caſtimoniam nuptijs, opprobria honoribus præponenda duxiſſet, niſi hæc in ſeipſo conſecraſſet is, qui nec in eligendo falli, neque in docendo fallere poterat? Denique declaratum illi, Deum, in quo omnia ſunt ſumma, aptiſſimè ſuam immenſam, hoc auguſtiſſimo facinore declaraſſe bonitatẽ; quæna enim mẽs creata, vt ſanctè caſteq; de Deo ſentiret, cõcipere potuiſſet, Deũ amore in viliſſima ſua mancipia permotũ, à quibus indignis modis per tot añorũ millia per ſumumſcelus offenſus fuerat; modũ inuenire voluiſſe, quo iiſdem tanto ſuo in corpore mortali labore, amorẽ ſuũ patefa-

patefaceret, patefaciendo, eos, quibus minime indigebat, ad ſui amorem alliceret, allectos denique ſua gloria donaret! è quibus omnibus ſi vera ſunt vt ſunt, nemo non videt quod hæc nō indigna Deo, ſed contrà plus quàm indignum, hominem, cuius cauſa tam admirabilia patrata ſunt, nolle Diuini conſilij magnitudinem admirari: hæc tria cum fusè, & ſingulatim Chriſti Domini ortum, vitam, tormenta, mortem, reſurrectionem & cætera audiſſet obſtupuit, & exclamans maiori ſe iam luce cælitus perfuſum facile declarauit, ait enim ſtupendum omnino inter cætera Dei opera miraculum, & ipſius mundi creatione maius.

Denique cum ſymbolum Apoſtolicum ei decurreretur, ventum eſt ad corporum in vitam reuocationem, in qua ipſe quoque non parum inſtitit, non quod arbitraretur Deo difficilius eſſe vitam reddere quàm dare, ſed quod illi videretur, veram germanamque felicitatem in animorum functionibus ſitam, nihil corporeæ permixtionis indigere. Sed cum audiſſet Diuina bonitate indignum, corpora laborum in virtutis exercitio ſocietatem ſortita, in nullam præmij partem venire, vel contrà voluptatum ſuauitate ſaginata, nullam pœnæ partem ſuſtinere, Dei iuſtitiæ aduerſari; hæc, inquam, & alia cùm audiſſet, tandem dedit veritati manus, & in cæteris deinde capitibus, facilem in obſequium

fidei captiuabit intellectum. Totus in noſtram iam inclinabat religionem; ſed vulgare polygamiæ malum, ſolenne inter primos quoſque huius regni, voluntatem præpediebat, ne agnitam ab intellectu veritatem ſequeretur; habebat enim ſupra legitimam vxorẽ, concubinam, & ex ea filiolum: à qua diuortium cum ægrè faceret aut ferret, aggreſſus eſt à Patribus impetrare vbi ſecum in hoc vnico legis noſtræ capite conniuerent, neque vellent homines primo ſaltu in virtutis culmen exilire; his initijs minus rigidi eſſent, omnia paulatim deinde ſublatum iri: Reſponſum ei, nihil hominibus in Diuinam legem eſſe poteſtatis, illius vnius auctoritati cedendum. repulſa iſthæc tantum abfuit, vt eum à propoſito abduceret vt etiam magis incitaret: nam ad Leonem Patribus inſcijs ſe contulit, vt eius quem iam Chriſti ſacris imbutum ſciebat, ſententiam audiret, qua in collocutione cum de hac ipſa repulſa quam paſſus fuerat, ſermo incidiſſet, ſubiecit ille, ad magnam noſtræ legis cōmendationem: In ea ſcilicet lege neceſſario & plurimum ſanctitatis, & veritatis eſſe, quæ in nullius hominis gratiam, quicquam de ſuo rigore remitteret. Cum igitur tandem dirupiſſet eius vincula dominus, totus poſthac noſter fuit, obicem ſuſtulit, baptiſmũ petijt ac impetrauit, cuius dies cum aduenisſet, ipſe Magiſtratuum, quos geſſerat inſignibus

amictus,qua pompa fieri potuit Chriſto renatus eſt,& à Leone ſuſceptus Michaëlis Archangeli nomine huius Eccleſiæ tutelaris inſignitus,ipſe quoque magnum illius lumen futurus magnopere Patres ac puſillum Neophytorum gregem recreauit. Magna fuit illius diei exultatio, ſed Neophytus mox cæpit egregium ſui feruoris ſpecimen dare, primùm acceptam à Patribus effigiem exornandam ſibi ſuſcipiens, delegit locum ab arbitris domi remotum, in quo aram erexit illi ſimilem,in qua Patres quotidie litabant,ornatum porro ſacrum, ſiue qui ad aram, ſiue qui ad ſacris oqerantem pertinet, elegantem omnino confecit, habebat enim pannos aliquot ſericos purpurei coloris opere damaſceno,munus Regium,dum gereret Magiſtratum, cuius generis munus à Rege acceptum ſolent in familia,monimentum amplitudinis conſeruare; Verum ille viſus ſibi nihil habere maius quod cæli Domino ac Regi daret, quàm quod à Rege terreno accepiſſet, ex ijs pannis aram illius exornauit,effigiem verò ipſam Chriſti ſeruatoris ornauit ad exemplum Leonis, inſigni theca inaurata, eamque in ara ipſa collocauit: ornatus cauſa fuit,quod domi ſuæ cuperet aliquando auguſtiſſimum Deo ſacrificium offerri,inſuper cum videret & Patres in maximis caloribus inter ſacrificandum vti veſte ſacra grauiore, vnà cum ſuo ornatu confici quoque

iuſſit è leuiori byſſo ad æſtiuos vſus.

Ita ille domi ſuæ ſuam in Deum voluntatem teſtabatur, ſed foras etiam cum multorum vel approbatione vel fructu prodijt. nam cum adhuc Ethnicis erroribus teneretur, vt eſt natura beneficus, certum vnguentum ſuo ſumptu in pauperes, qui eo vti vellent gratis miniſtrabat, in fano quodam, certo ad id curandum homine deſignato. in cuius diſtributione iubebatur, qui accipere vellet, ab inanibus dijs, expoſcere ſanitatem; Iam Neophytus pietatem ac miſericordiam conſeruauit, impietatem ſuſtulit: accepit igitur à Patribus aliam imaginem, cui elegans elogium aſcripſit in eam ſententiam, quæ declararet illius hanc effigiā eſſe, à quo vno ſaluté ac cætera ſperare oporteret. eam cũ imagine inſcriptionem, deturbatis è ſolio iniquis & vanis occupatoribus idolis, propoſuit, corporibus animiſque ſalutari inuento, & publica mutatæ in melius religionis profeſſione. Pleraque ſuopte ingenio ac ſponte animi, Patribus inſcijs inſtituit: ſolum hoc elogium quod erat longiuſculum priuſquam exponeret emendandum Patribus dedit, ac ſimul conſilium ſuum aperuit, quæ res magno eos affecit ſolatio, cum ſperarent his initijs meliora quotidie virtutis incrementa; nec ſpe ſuâ fruſtrati ſunt, nam vtrumque parentem propè decrepitos, in idola mirè propenſos, eo tandem adduxit vt

Catechumeni iam eſſent, nec hos ſolum ſed omnem propè viciniam quà verbo quà exemplo concuſſerat, permultis, neque ijs vulgaribus, ad ſacra noſtra aſpirantibus.

Hoc erat noſtrum in ſuburbano otio negotium; & licet ſemper aliquos Chriſto adiungendo, iam ad triginta numerus excreuiſſet, tamen id pro noſtrorum cupiditate & gentis opportunitate, parum aut nihil videbatur, quoniam extra vrbis muros procul commorantes nemo prope niſi Michaëlis familiaris conueniebat: nec tamen nihil omnino factum. aduenit octo dierum itinere emenſo, vnus ex infimis Magiſtratibus ijs, qui rei bellicæ præſunt, fidei noſtræ capitibus perbene iam memoriæ commendatis, cum duobus filijs baptiſmum expetebat. Sed vnde illi rerũ noſtrarum in tanto interuallo notitia? præerat in ora huius prouinciæ maritima arci cuidam, & eam oram cum claſſe contra Iaponios pyratas tuebatur Martinus Neophytus, qui Nanquini inter primos illius Eccleſiæ fuerat baptizatus, & paulatim per bellicos honorum gradus aſſurgens, iam præerat mille quingentis militibus; is ſæpe in annalibus noſtris nominatus, pergit vbicumque degit ſuæ virtutis veſtigia relinquere; à quo hic, quem dixi, res noſtras & Chriſtianæ doctrinæ libello accepto, idolis flamma abſumptis, imagine Chriſti ſaluatoris ſubſtituta, familiam

quoque vniuerſam erudijt, contigit ſub idem tempus,eum ipſum Martinum Hanceanum deuenire,nam ad longè maiorē,ſaltu verius quàm paſſu,vocabtur dignitatem. Cum Patrem Cataneum, à quo fuerat olim ſacro fonte ablutus, Hanceani reperiſſet,mirè lætatus eſt,deque ſubditi ſui ſalute ſollicitus, eum monuit Patres Hanceani degere, venit, baptizatus cum filijs, idem inſtructus eſt qua ratione Parentem iam octogenarium,ſiquid inſtaret periculi expiaret; abijt denique lætus in domum ſuam,multos in Dominicum gregem vt anno inſequente dicetur allecturus.

Sed à Martino nondum abeo. Narrabat eaſe dignitate, neſcio quibus ex cauſis minimè contentum,vouiſſe virgini, ſi alio vſpiam, etſi non ad maiorem dignitatem,honorum permutatione amandaretur; ſe eius precatoriam coronam millies decurſurum,& mox velut voti cōpos factus perſoluere penſum cæpit, vix quadragies hoc fecerat, cum ecce in maiorem audijt ſe dignitatem nominatum. Quod maximè conſecutus eſt,re in arce bene geſta, qua ita ſibi eius Prouinciæ Magiſtratus demeruerat, vt alio iam ante auocatum,paſſi non ſint è ſua Prouincia pedem efferre. Dignitate adita,ad ſuum munus abijt, ſed primum Patres liberaliter bis donatos,quorum cum res omnes cognitas penitus habeat,non ignorabat inopiam, reliquit: ſed

quoniam verebatur ne quod mittebat Patres remitterent, beneficentiam ſuam ita compoſuit vt ſemel Patres coëgerit, ſemel fefellerit, nam domo pedem efferens miſit ad eos quod remittere per temporis anguſtias non poſſent, is quoque in hac noua dignitate ſcripſit, ſe non ſemel à Deo in præſentibus periculis ita adiutum, vt ex ſuis militibus nemo neſciret, ſe in vnius Dei cæli ac terræ moderatoris eſſe tutela, cuius potentiam omnes qui eius prius ne nomen quidem nouerant admirantur: maximè in atroci procella Diuina virtus enituit. Nam coniecta in fluctus ſacra cerei agni particula, mare ſubito ventoſque placauit, hos ille alioſque cæli fauores, Cruci, quam à Patribus acceperat, in qua incluſum erat Chriſti crucis fruſtulum attribuit. Nec diu illam tenuit dignitatem, nam qui dixit quicunque me glorificauerit, glorificabo eum; in Quiam Sinenſis Prouincia Nanchiana Metropoli propè ſumma eum inſigniuit dignitate: qua in vrbe cum ſedem habeamus, ſperandum eſt eius auctoritate atque exemplo non parum profectum iri.

Aliquot Menſes in ea villa ſuburbana tranſegerant Patres, abſque vlla ſpe ſedis intra muros figendæ, interciſa fructus amplioris ſpe ang.bantur, & habebant in mandatis, niſi ædes haberent, eaſque noſtris Miniſterijs accommodas, non morari: ſed & illud videbatur durum, à tam

à tam glorioſo incæpto reſilire: Iam ſex totos menſes Superioris hac de re reſponſum, quod pluribus vijs ſperabant, nullum apparebat, & locorum diſtantia & nunciorum perfidia. Acceſſit grauis omnium morbus, è quo etiam conualeſcentibus reliquis, tamen Patri Cataneo graues vtroque in genu dolores, in dies augebantur, quod malum omnino omne cum hoſpitibus commercium tollebat, neque enim ſedere poterat, niſi ſuſtentaret erectum altera in ſella genu, quod Sinica grauitas, quam violare in congreſſibus eſt nefas, omnino non fert; eius porro ſocius planè imperitus erat Sinici ſermonis. His igitur alijsque permultis iuſtiſſimisque de cauſis, re prius diu ac ſeriò in orationibus ac ſacrificijs Deo commendata, ſtatuerunt Nanquinum ſibi ad breue tempus repetendum interea, dum Pater Lazarus Cataneus conualeſceret & ſocius ad Superiorem Pequinum ſe conferret, eius rei ſtatũ, ordinem; ac neceſſaria ſubſidia petiturus. itaque hoc ſuum conſilium cum Michaële ſimul ac Leone communicant, qui licet acriter initio renitebantur, tamen vbi audierunt paucorum menſium moram, tandem acquieuerunt. Nanquinum igitur repetiere Patres, valetudinem curauit Pater Lazarus Cataneus, eius ſocius Pequinum petijt,

cum ſuperiore ſua negotia perfeçit, reditum ne ab hyeme intercluderetur, feſtinans, Nanquinum cum hoc Reſponſo reuerſus eſt vt hybernos ibi menſes tranſigeret; Nanquini interim ineunte verè ſeipſum ad alia multa negotia adfuturum, Miſſionemque denuo ita inſtructurum, vt alienæ opis minimè indigerent. Interim dum Patres Nanquini moram faciunt, eam minimè ferentes duo Neophyti Doctores, certum hominem delegant, cum litteris, quibus Patres ita euocabat, vt dicerent ſe iam ædes habere intra muros, de ſumptu verò minimè laborarent, omnia ſe liberaliter ſubminiſtraturos.

Atque hic finem facio, nam huius Miſſionis inſtauratio in annum inſequentem, quo contigit, ex more referenda, ſolum hoc ad extremum monebo, vt ex hac excurſione eaque tam ab omni neceſſario ſubſidio imparata, metiatur quisquis hæc legerit, quantum in hoc regno res Chriſtiana capere poſſet incrementum, niſi eorum, ſine quibus vita non ducitur, penuria operarios in meſſem immitti, iam albam maturamque, prohiberet; & ſanè luctu dignum eſt, tot in orbe Chriſtiano reperiri qui Chriſti patrimonium otioſi prodigunt, eorum neminem propè meminiſſe, vt aliquid ijs ſeponat vineæ Domini cultoribus,

qui pondus diei & æſtus ferunt. Quod ſi noſtræ tenuitatis ignoratione contigit ſperamus fore vt ad catellos (neque enim pudet hoc nomine Euangelij proclamatores appellare) miræ quæ cadunt de menſis dominorum ſuorum, tandem aliquando pertingant; quod qui fecerit, næ ille bene beneficentiam collocarit.

Reſidentia Nanciana.

IN Quiam Sinenſis Prouinciæ metropoli, antiqua eſt nobis ſedes; In hoc iſto anno conſederunt duo ſacerdotes, P. Ioannes à Rocha, & P. Petrus Ribeirus, ambo Luſitani, horum comes eſt vnus frater noſter; vniuerſus huius domicilij ſtatus præ cæteris, agendi patiendique videtur mihi vices habere perpetuas; Nam hac in vrbe cum noſtri minus quàm in alijs Magiſtratuum familiaritate fulciantur, multis patêt maleuolorum incurſionibus. Rurſum tam inſignis eſt horum laborum fructus vt hæc Eccleſia reliquas numero & fortaſſe Religionis etiam ſtudio feruoreque ſuperet: qui tamen hic Chriſto nomen aſcribunt ferè de plebe ſunt, etſi non infima, pauci litterarum gradibus vel publicis muneribus inſignes; quæ ipſa res proculdubio ſuſpicionem auget, & annuas propè perturbationes parit, ac ſi res humano eſſet pede metienda, non ſatis conſtans ac ſtabilis videretur; ſed quæ plures inter tot labores ſibi filios parit Eccleſia, gloriari ſupra cæteras in hoc regno poteſt; quod propius ad naſcentis Eccleſiæ formam, à communi parente, qui nouit, quid cuique magis expediat, educetur.

Incipiam igitur ab eo quod illi fuit hoc anno

primum

primum ſimul ac pulcherrimũ: abſit enim gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti.
Eum curſum res Chriſtiana tenebat, qui anno ſuperiore comemoratus eſt, cum nec opinantibus denſa ingruit procella: Magiſtratus, qui eam ſtationem, in qua eſt domus noſtra, regendam accepit, nondũ ſatis notum, qua ex cauſa (quanquam ſuſpicamur id profanorum ſacerdotum maleuolentia, fulta Magiſtratuum quorudam fauore, contigiſſe) ſcripto publicatoque diplomate noſtros proſcribebat, eius diplomatis ſententiam hic inſeram eo conſilio, vt eximam nonnullis eam fortaſſe opinionem, qua ſibi perſuadent nos hic eá quæ patimur, non ita dilucidè religionis cauſa pati. Scripta erat igitur in hunc modum: ego N. ad peruerſas ſectas profligandas & prouinciam expurgandam animum applicans, comperi Matthæum Ricium peregrinũ eſſe hominem, alios porrò nũc eſſe, qui eius nomen vſurpantes, nouũ dogma diſſeminant, qui ideo in hanc vrbem comigrarunt, & à cæli moderatore nomen accipiunt; deprehendi quoque huius dogmatis exercitationem litteratorum ordinem ac vulgus perturbare, cum hi aduenæ, prætextu ſuæ ſectæ, ſe illorum Magiſtros efficiant, & continuo conuentus eorum, qui ad ſe adueniunt cogant. Nunc igitur, quoniam ſuperiores Magiſtratus omnino peruerſa omnia dogmata tolli velint, viſumque fuerit

mini-

minime expedire, vt hæc noua lex, quæ ab vno cæli moderatore nomen habet, creſcere permittatur. Quare ad componendam expurgandamque Prouinciam mandamus tibi N. vt ad ædes in quibus dicti peregrini homines commorantur, te conferas; iubeasque vicorum præfectis, vti quàm primum eos tota prouincia eijciant, quod cum fecerint, reddant me de re tota certiorem: Porro ſi clam auſi fuerint incæptum perſequi, eamque in rem vicorum præfecti conſenſerint, eos pro legibus, nihil indulgens ſeuerè multabo. hæc erat diplomatis ſententia, è qua facile vt reor intelligitur, quo nomine noſtri pellerentur. Cui demandata decreti publicatio, domum ad nos venit & Patres nihil opinantes, repentina rei nouitate, perculit: Itaque ad medendum tanto malo, animum conuertens, die inſequenti ſe diplomatis auctori ſiſtere vnus è Patribus rationem redditurus parabat; ſed vt admitteretur impetrare non potuit: libellus ergo comparatus, quo ſeſe tuerentur, cui ſolum hoc ille ſubſcripſit, ſe quod faceret, ſuperiorum Magiſtratuum auctoritate facere, à quibus omnino decretum eſſet vti tota prouincia pellerentur, quòd quàm falſum eſſet rei exitus comprobauit.

In hoc tam aſpero rerum ſtatu ſolatio fuit inſignis Neophytorum feruor, qui frequentes ad nos venire, opportuna pro ſe quiſq; auxilia ſugge-

ſuggerere, orbitatem ſuam deplorare; vel quibus etiam animorum plus erat, Patribus ipſis eoſdem animos dare: ſed nec his contenti cum viderent propè omnes ad rem componendam aditus occluſos, magno numero in ædem ſacram conuenêre, nixique genibus Deum obteſtari cæperunt, vt ne nouellos fætus educatoribus ſuis orbari ſineret, gloriæ nominis ſui intergentes rationem haberet, nec ſuis criminibus irritatus regnum ſuum abſe tolleret, daturus genti facienti fructus eius: quæ cum magna contentione pro ſe quisque pro ſpiritus impetu poulaſſet, finita omnes oratione in hanc venêre ſententiam; vt quoniam nulla ſpes ſupereſſet in auctore diplomatis emolliendo, ſuperiorum Magiſtratuum auctoritatem cauſante, ſimul vniuerſi ad pro Regem, qui toti Prouinciæ præeſt proficiſcerentur, expoſituri quàm iniuſtè Patres pellerentur, qui tam apertam docerent homines veritatem, omniumque ſalutem curaturi, per tot terræ, mariſque pericula huc aduenissent. Porrò ſi quid eſſe periculi videretur, ne legis diuinæ promulgandæ nomine aliquid rerum nouarum molirentur, ſe ad vnum omnes, qui hæc ſacra ſuſcepiſſent nomina ſua daturos, ac ſe ſuisque familijs delicti pænam omnem ſuſcepturos; erat hæc ſine dubio nobilis fidei profeſſio, amoriſque in Deum eiusque ſeruos ſpecimen ſingulare, ſed quoniam Patribus alia

molliora prius tentanda remedia videbantur, prohibiti ſunt id exequi quod parabant, prohiberi tamen minimè potuerunt, quin ad auctorẽ diplomatis ſe conferrent, magnaque libertate cauſam noſtram agerent, nihil veriti ne in partem pænæ venirent, qui ſe iam in eam ſectam, vt aiebat ille, tranſiſſe fatebantur. Tenuit huius procellæ nimbus menſem vnum priuſquam priſtinam ſerenitatem cæleſtis fauor aperiret, quo tempore mirum eſt quanta domi curialiũ, qui velut vultures ad cadauera ſibi conuolare videbantur, eſſet perturbatio, verùm iniecto illis quod roderent, vt canes dimittebantur. Et hoc quoque iuuit ad reifamiliaris anguſtias magis magiſque coarctandas: Sub idem tempus nondum bene confectâ re, Superior, vt initio dixi, cum ſocijs appulit, quod ad multa valuit, ſed non parum ad reficiendas vtrumque ærarij domeſtici ruinas. Ad extremum, vt hanc rem contraham, amicorum quorundam opera, empta pretio ac largitione, ſine qua nulla prope eſt apud Sinas, amicitia; res eſt ita compoſita, vt ijs interceſſoribus auctor ille tam ſeuerus illius diplomatis, ſuam ſententiam reuocaret, resq; noſtras, quo prius loco fuerant, ſineret intactas, qui ſi ab ſummis Magiſtratibus iuſſus fuiſſet facere quod fecit, ſanè ille nullis ceciſſet poſtulationibus. Itaque totum deinde annum multa pax tenuit, niſi quod paucis poſt menſibus aliud prope ma-

pè malus malum exarſerit. Nam ad fores palatij in quo totius Prouinciæ viſitator per eos dies morabatur, incerto auctore ſcripta noctuque affixa ſchedula illuxit, cuius hæc erat ſententia: degunt nunc in hac Prouincia neſcio qui è magno occidente peregrini homines, qui ſectam nouam, cæli Domini nomine, euulgant plebi imponentes. quod vbi audiuère Neophyti noſtri, mox ad locum, conuolant & palam claro die ſchedulam refigunt, nullusq; poſt hac de ea re ſermo.

Veniamus nunc tandem ad ea quæ hi labores bona peperunt, ac primum reliquas ſedes ſingulas vt dixi, numero eorum, qui ſe Chriſto adiunxerant, hoc quoque anno Eccleſia Nanciana ſuperauit. Dedit enim decem ſupra centum, qui numerus in hac rerum perturbatione ſpem omniũ, qui res noſtras norunt ſuperauit. Et quoniam ſiue cum Neophytis ſiue cum ijs qui recens in Chriſti militiam adſcripti ſunt, multa contigerunt, ſiue Diuini fauoris, ſiue humani feruoris argumenta; ea hoc ordine perſequar, vt primum ea quæ ad veteranos ſpectant, tum quę ad tyrones, commemorem.

Circa veteranos non eſt mei conſilij ea repetere, quæ, quia perpetua, i ſeo quotannis reperi poſſent, ſed ſolum ea, quæ aliquid habent peculiare dignumq; annalibus: Neophytus quidam, cũ iam in Chriſti ſacra tranſiſſet ſeruatoris effigiem, quæ ex more baptizatis à Patribus datur,

domum

domum detulerat, habebat forte vicinum aliquem Ethnicis mire deditum erroribus, cuius etſi erat habitatio diuerſa, erat tamen vtrique ianua communis: Is forte, ex eo tempore, neſcio quid aduerſi paſſus, circumſpicere cæpit, vnde ſibi mali cauſa, inque eam rem adhibuit coniectatores, à quibus accepit, recens in ſuas ædes ſpiritum aduenisſe reliquis maiorem, cuius deterriti numine Dij, quos colebat, ſolita præbere ſubſidia non audeant; Debuerat miſer hoc reſponſo ſalutaris conſilij captare occaſionem, reiectisque minoribus ſeruire maiori, verum in tranſuerſum actus, non ſolum ædes permutare, & tutiorem ſimulacris ſuis ſtationem quærere conſtituit, ſed infortuniorum quoque ſuorum ſenſu commotus, multa in Deum, cuius conſilij rationem minime agnouerat, ore blaſphemo non eſt veritus debacchari: ſed neſciebat imprudens longas eſſe Numini ad vindictam manus, quæ nihilo abſentem minus, quàm præſentem inuaderent; quod intra breue tempus ſine fructu didicit, nam infortuniorum omnium maximum, in mortem ſuis inuolutus erroribus incurrit, exemplo alios docens, quid ipſe diſcere noluiſſet.

In re non diſſimili fuit alteri mollior pæna, quod Domini manum agnouiſſet: Mulier eſt Chriſtiana cui Martha nomen eſt, quæ iam alterum tertiumúe annum, ex quo Chriſtum agno-

uit, magno pietatis ſtudio, quam accepit non retinet ſolum ſed auget innocentiam; ad quam Nepos eo tempore, quo vrbe pelli noſtros erat fama, veniens, ait mirari ſe quibus artibus faſcinata, inauditum neſcio quod peregrinorum hominũ Numen, Patrijs Dijs prætuliſſet; quod quidem numen ſimul cum ſequacibus publicè damnatum ad pænam poſtularetur. Itaque dum adhuc res eſſet integra, ſuis fortunis ac etiam vitæ fortaſſe conſuleret. His Martha reſpondit, ea ipſa diſcrimina ſe Chriſti cauſa magnæ felicitatis loco habituram, non ceſſit importunus iuuenis, ſed reijci ſua conſilia non ferens, impotenter nimis in eam inuehitur, cum autem æquè contumelias, vt mala conſilia reieciſſet, verbis verbera ad impudentiæ cumulum adiecit. Concurrêre vicini nec tulêre audaciam, cõprehenſum materteræ tradunt, vt illa ipſa pænam ab Nepote repeteret: ſed illuſtris Chriſti diſcipula iam Chriſtianam edocta patientiam aſſeruit, ſe iam dudum ad maiora comparatam, nihil his iniuriarum velut præludijs commoueri; ſi Nepos pænam commeruiſſet, vnum eſſe vindicem Deum, in cuius iuſtas manus, omnia reijci opporteat: Hoc tam ſapiens mulieris reſponſum pæne pro vaticinio haberi poteſt: nam illicò iuuenis os impudens dolores maximi occuparunt, ipſæ quoque manus intumuêre, vt ex ipſa membrorum ad pænam e-

electione intelligeret, quod malum lueret: Intellexit tandē & facti pænitēs miſit, qui veniam exoraret rogaretq; vt vltrices à ſe Numinis irati manus auerteret, Nec difficile illi fuit pænitentē recipere, quæ delinquentem tulerat, ipſe quoq; Dominus maturata iuueni ſalute oſtendit, pænæ habenas in manibus eſſe plectendi, quas cū voluerit adducat aut remittat; neſcit enim Dominus punire, ſi neſcit homo peccare.

Si quid minus tolerantiæ habuit qui ſequitur, plus fortaſſe zeli præ ſe tulit. Is fuit Neophytus quidam Damianus nomine, qui cum amicum ad Euangelij lucem aſpiciendam induxiſſet, à quatuor amici filijs iam adultis, qui, quod in parentem non ſunt auſi, in rei auctorem exonerarant: quos ille, cùm ſæpius Chriſtianæ facilitatis exemplo, ad imitandum parentem in caſſum alexiſſet, ne diutius modeſtia in rei Chriſtianæ, cui detrahebant, iniuriam abuterentur, zelo correptus ita compeſcuit vt eos impoſterum crimine, Deum iniuria, ſe moleſtia liberarit.

Neſcio an difficilius quàm felicius fuerit alteri, cui nomen Hilarius, cum duobus fratribus ſuis certamen, quibus inuitis cum veritatem agnouiſſet, importunos eos habebat quotidianosque ſollicitatores: alter peruerſorum fratrū natu maior, alter ſacrificulus ex officio haberi

ſibi

ſibi fidem volebant: bimeſtris fuit hæc lucta, nam in morbum incidens Hilarius vitæ ſimul ac liti finem hilariter dedit; verum enimuero quam ſanus ſuſtinuerat, duplicatam æger luctam eluctatus eſt; nam vt alterum fratrum taceam, importunus Dæmonum miniſtellus, Magiſtri ſui more, ſciens quia breue tempus habet, magnam iram habens accurrit, & quà ſpe, quà metu, vt à Chriſti caſtris cum ſumma perfidia transfugeret hortabatur: Hilarius non hilari vultu monitorem excipiens, faceſſe inquit, neque poſt hac in conſpectum prodit, fruſtra mihi moleſtus es: abijt; ſed & Hilarius quoque noſter; in cælis laturus præmij quod in finem vſque decertantibus eſt promiſſum.

Nec hi ſolum qui renitentibus ventis maleuolorum, conſtantiæ remis nauigabant, in virtutis via proceſſerunt, credibile eſt eos, qui nullos habebant obſiſtentes, velis remisque nauigaſſe: è multis aliquot virtutum exempla ſeligam. Neophyto cuidam filius natus erat, is gratiam Deo habiturus non parum ad concinnandas ſacelli noſtri Lampades vouit: Infantulus die octauo renatus in ſequenti, quam illi ad ſalutem Deus conſeruabat vitam amiſit, erat res pro Sinicis ingenijs aſpera, potiſſimum cum præter eum alium haberet nullum: vicit nihilominus gratiæ copia naturæ orbitatem, nam cum

ſibi certo perſuaſiſſet ſe filium ibi habere, quo omnes tendimus, nullum faciebat Deo gratulandi finem: &,reliqui Neophyti re audita, domum frequentes ad eum gratulabundi conuenêre; hoc eo magis admirabile, quod apud Sinas,qui magnam ſuæ felicitatis partem in poſteris reponunt, eſt omnino paradoxum: Itaque viſus ille eſt ſibi aliquanto etiam magis voti reus,quod cumulatè perſoluit, & ſupra votū grates addidit ei, qui nouit mortalium vota ſupra vota complere. Magnus eſt omnino horum Neophytorum in Diuino officio feruor: vir grauis,cum integros in æde noſtra ſacra,vel priuata, dies tereret,quanquam eos vel in oratione vel quærendis, audiendis exſcribendisque memoriæ cauſa ijs, quæ de fidei Chriſtianæ capitibus audiebat, bene collocaret; admonitus eſt tamen à noſtris, vt quoniam quatuor haberet filios iam adultos, eoſque rebus noſtris non parum infenſos,nonnihil hoc ſuum pietatis ſtudium,pacis cauſa temperaret,potiſſimum,quod id ætatis, cùm ſummo mane per imbres ac niuem contentendo, anſam filijs daret prætextu pietatis, legis Diuinæ ſeueritatem carpendi,ſed reſpondit ille,ſe ſuam ſalutem in hac ætate curare,ſeque qui filios norat, arbitrari hoc ipſum facere,ad filios ab errore reuocandos: Idem aliàs cum ſacro ieiunij quadragenarij tempore corpus varijs modis maceraſſet, admonitus quoque

quoquè eſt à fratre noſtro, vt iam Paſchali lætitiæ nonnihil ac remiſſioni daret; verum ait cupere ſe, quoniam ipſe quoque Chriſtus peractis redemptionis noſtræ laboribus, alios quadraginta dies in hoc ærumnarum loco ſubſtiterat; cupere ſe inquam, nihil de incæpta ſemel aſperitate relaxare.

Sed quoniam de pænitentiæ exercitationibus incidit ſermo, non eſt omittendus mihi ſeptuagenarius quidam ſenex, qui annua poſtulatione contextum è funibus flagellum (diſciplinam vocat vſus) extorſit: aiebat enim ſibi qui tot annos inanium Deorum coluiſſet ſimulacra, temporis breuitatem quæ ſibi ſupereſſet, animi contentione compenſandam: Interim vero dum non impetrat, ipſe de ſe varijs artibus pænas ſumebat, ad extremum voti compos factus, cum lachrymis ſacrum flagellum accepit, quo non ſolum frequens ipſe vtebatur, ſed nequo tempore vacaret, alios Neophytos hortabatur, vt eo viciſſim vterentur: Idem cum vxorem mors ſuſtuliſſet, cumq; à filia ſimul ac genero debitis officijs coleretur, indignus ſibi tot obſequijs viſus, euocatos admonuit, vt honorem illum vniuerſum in Deum Optimum maximum conferrent, hoc ſibi quàm maximè acceptum eſſe.

Quam hic ſenex propenſionem ad ſacrum flagellum, alij ad alias res ſacras præ ſe tulere,

 amiſe-

amiſerat alius ſenex precatorios globulos, quam ille negligentiam quatriduanis pœnis de ſe ſumptis caſtigauit; Inde cum ad ædes noſtras veniſſet, alios impetraturus, reperit Patres hoſpitum congreſſibus occupatos, itaque ad ſacellum ſe contulit, & nixus genibus, nunc ad aram ſeruatoris, nunc ad Deiparæ rogabat, vti cor Patris emolliret, ne pro in curiæ pœna, repulſam pateretur; non paucas horas ea oratio tenuit dũ occupatione iam ſolutus Pater, conceſſit quód rogabatur; quod ille munus lachrymis gaudio obortis perfuſus accepit. Non abſimilis fuit vetula quædam, quæ cum penſilem icunculam, medaliam vocamus, imprudens amiſiſſet, toto triduo cibo planè omni abſtinuit, hac inedia extorquêre à Domino certa drachmam quam perdiderat, domum id temporis totam euerrit & prope euertit, cũ fruſtra fuiſſet, inediam protrahere vltra triduum ſtatuit, verum admonitus Pater, miſit qui ſubſtituto nouo ſigillo, ieiunium ſimul ſolueret ac mærorem. Alij ſimiles caſus veriti, eas argenteis thecis claudunt. Ne hic religionis ardor ſola Neophytorum corda occupauit, ab ijs in ipſos Ethnicos ſæpe ſerpit, qui cum audiunt cruces, roſaria, medalias vim habere contra Dæmonia præſentiſſimam, nullum non lapidem mouent, quo aliquid horum aſſequantur: quod ſi minus ſuccedit, clam ea ſurripiunt Neophytis, potiſſimum verò veneran-

nerandum IESV nomen litteris Noſtratibus de more pereleganter expreſſum: quod Neophyti noſtri portis ſuis præfigunt, velut fidei ſuæ publicam proteſtationem. Nec hic Ethnicorum ſubſiſtit feruor; ſæpe votiuas in ſacellũ noſtrum cereos odoresque deportant, luſtralem aquam ſuis morbis pharmacum adhibent, & vſque ad miraculi ſpeciem, cum fructu. Ex ijs mulier quædam periculoſa correpta febri, hauſta luſtrali aqua vomuit ore corrupti ſanguinis velut globulos, momentoque conualuit: non deſunt etiam Ethnici nonnulli, qui cũ expedire ſe polygamiæ compedibus durum putant, agnitam tamen veritatem rogant, vt liceat exterius profiteri, idola exurunt, Deum colunt, orationesque noſtras percurrunt, eaque ſibi ratione copioſiorem è cælo gratiæ vim trahunt, qua tandem aliquando permoti quod norunt ac volunt, poſſint.

Nec in hoc ſolum ſeſe genere pietatis exercent; alienæ miſeriæ qua poſſunt ſubueniunt, ſed potiſſimum ægros tenuiores corrogata ſtipe, collatis pharmacis, omnique domeſtico obſequio iuuant, frequentes ad ægrum conueniunt, nixique genibus ad ægri lectum, vel in æde noſtra ſalutem exorant, vel ſalutarem exitum Deo commendant: mortuos verò ad ſepulturam procul ab vrbe, & incommodo ſæpe cælo comitantur,

hiſque ac ſimilibus virtutum exercitationibus ſeſe Neophyti ſpectatos faciunt dum viuunt: ſed illuſtre fuit quorundam in Religionis ſtudium; ſolent Sinæ agrum aliquem ſuburbanum in familiæ ſepulturam ſibi comparare, Neophyti quidam, quod nollent gentilicios ſuo funeri ritus adhiberi, ab auito ſepulcro excludebantur, ſed maluerunt ipſi ſibi ſuiſque poſteris proprium ſepulcri locum coëmere, quàm bene actam vitam profanis inanium ſimulacrorum ritibus in funere maculare.

Plura de pluribus dici poſſent, ſed his contentus ad ea quæ circa tyrones, dum in Chriſti militiam aſcribuntur illuſtriora contigêre feſtino. Ethnicus quidam iam ſeſquiannum ita iacebat paralyticus, vt ad eam membrorum diſſolutionem quotidianis quoque febribus vreretur; nullam in medicis, nullam in profanis ritibus ſpem ſalutis inueniebat, verum hæc tam moleſta & grauis ægritudo non ad ſalutem animi ſolum, ſed ad Dei gloriam immiſſa erat. Quadam nocte viſus eſt ſibi dormiens audire à neſcio quo, ſe, ſi ſacram epotaret aquam ſanum & incolumen fore; ille nondum res noſtras attigerat, nec aquæ luſtralis vim, ſed neque nomē audierat: habebat tamen è Neophytis amicum quendam, ex quo quærit, eſſetné apud Chriſtianos alicuius aquæ, quam ſacram vocent, vſus? Eſt, inquit ille, maximus, ſimul edocet, quo

euentu

euentu multi eam uſurparint malis ſuis ſalutarem; tum æger ei ſomnium narrat, rogans etiam atque etiam ne grauetur illius ad ſe vaſculũ adferre: Non abnuit Neophytus, ne moleſtia ægrum afficeret, dubitare tamen cæpit, faſné eſſet eam homini Ethnico vtendam dare? domum noſtram venit, rem narrat, dubium proponit; hanc occaſionem noſtri, ſalutis animi magis quàm corporis arripiunt: Itaque frater Noſter ad ægrum pergit, aſſerens tum aquam corpori fore ſalutarem, cum ille Deum, à quo vim illa ſumit agnoſceret: non fuit difficile iam propenſum impellere, Doctrinæ Chriſtianæ, quem ediſceret libellum accipit, tum aquam ſalutarem bibit, quæ illi, res mira! eo ipſo die febrem extinxit. Vnde iam melior fidei noſtræ capita memoriæ de more comendat, & quot paſſibus ad animi ſalutem, totidem ad corporis valitudinem procedit. Nam breui paralyſi vtcumque liber, titubans & claudicans in ſacellum noſtrum ad ſacratiorem baptiſmi fontem acceſſit. admirabile viſu erat, ipſo momento, quo ſacris aquis tinctus eſt, integram corporis cum animi ſalute conſecutum eſſe firmitatem; Quare imposterũ non corpore minus quàm animo rectus Domini ſemitam in offenſo pede calcabat.

Non abſimilis in re ſimili medicus quidam iam nonagenarius, qui prius, Chriſto quàm nomen daret, dudũ ſpectris nocturnis iuxta diur-

nisque terrebatur. optabat ille ſcire quid ſibi vellent,nec in amicis aut coniectoribus inueniebat remedium; audijt tamen,neſcio ex quo, apud Chriſtianos eſſe ſimilium perturbationum leuamen,venit, audijt, credidit, liberatus eſt; cæpitque tanta animi contentione tarditatem compenſare, vt oſtenderet ſe hactenus meliorum ignoratione peccaſſe: Non ita multo poſt in ægritudinem incidit quam Patris vel Neophytorum obſequijs,cum homo id ætatis excuſſiſſet, ea vix bene leuatus ad ſacellum aduolat, Deo fusè grates Patribusque ac Neophytis magno animi ſenſu daturus.

Nondum à ſenibus abeo, mulier quædam ſeptuaginta totos annos mirè inanium rituum fallacijs deluſa,magnam fortunarum partem in coëmendis diplomatibus ſchedulisque,quæ in altera vita prodeſſent,abſumpſerat; (hanc fraudem inuexit ſacrificulorum cupiditas,qui mentita pietate, quos poſſunt loculos emungunt) vendunt enim ſchedulas quasdam ſigillis ſuis obſignatas,quibus aiunt nummos, quos in hac vita ipſi recipiunt,in altera ingenti cum fœnore reſtitui; hæc igitur vetula diu miſerè deluſa, ad extremum veſtem ære multo coëmta totam ex his ſchedulis,Chirographis, ſigillisque contextam,qua mortuæ cadauer inuolueretur; hæc neſcio qua ratione de rebus noſtris audijt, & mox obedijt; nec eam à propoſito tres filij Ethnici,à

nici, à quibus id ætatis alebatur, auertere potuêre; conſecuta eſt neſcio vnde Chriſtianæ doctrinæ libellum, cumque prius didicit, quàm cum noſtris ageret; poſtmodum edocta, quæ non intellecta didicerat, baptiſmum expetijt, quem quo die conſecuta eſt, eum ſolemni ſimulacrorum ſchedularumque pyra, coram multis Neophytis ipſoque Patre illuſtrauit; Ex inde religionem falſam cum vera commutans, crucem in capillitio, eleganti opere contextam omnium in oculis pro capitis ornamento geſtabat; & quoniam ex antiqua conſuetudine ſolebat ad ſingula prope verba idola nominare, Ss. IESV atque Mariæ nomina continuo proferebat, idque quo poterat ſenſu pietatis.

Videntur mihi ſenes in ſuæ ſalutis centrum eo ferri maiore impetu, quo per ætatem propius abſunt, hanc ob cauſam palmam virtutis ferunt, octoginta & ſex annos cum vixiſſet quidam, audiebat iam Catechumenus ea, quæ ab ijs, qui renaſci volunt ſciri decet; intellecto inter orationem Dominicam explicandam, peti à Deo, vti nobis debita non ſecus atque nos ea debitoribus remittim^9 remittantur; quod etſi probè caperet, domum tamen reuerſus vt vel hac indulgentia peccatorum ſibi relaxationem faciliorē redderet, ſchedulas quaſdam exuſſit, quibus debitorū nomina continebantur, nec eſt paupertate deterritus, quin ſe non exigua debitorū ſuma exueret. Neophyt^9 quidā procul aberat à nobis,

idem

idem varijs diſtentus negotijs, rarius quam optabat feſtis diebus ad ſolitos conueniebat cætus, hoc vt compenſaret, per eos dies ad ſolitas preces & quotidianas alias addebat multas, vt Miſſarum & cætuum tempus exęquaret; cohabitabant ei Ethnici aliquot, à quibus ſæpe riſu & ſannis exceptus, tamen ſibi conſtabat, ad extremum vicit conſtantia, nam ille vel vitæ exemplo, vel orandi aſſiduitate ita eos permouit, vt ipſi in eadem quoque ſacra tranſierint: quod cum feciſſent, Magiſtrum ſuperare aggreſſi, totos dies domi noſtræ diuinis rebus audiendis, Deoque obſecrando terebant; quo nomine ille antiquis irriſoribus non ſemel per iocum inſultauit.

Hic, de quo dixi, mutis exempli cohortationibus Chriſti gregem auxit; de quibus autem mihi nunc eſt ſermo, amplius aliquanto fecêre; par eſt Neophytorum coniugum, vni Caio, alteri Monicæ nomen eſt, Monicæ vterque parens ad id temporis, antiquis tenebatur erroribus, omnis ei cura erat in ijs Chriſto adiungendis, ſed non erat id in promptu ſatis, quod alio in oppido apud filium Ethnicum, qui eos alebat, morarentur; tentare tamen ſtatuit, ecquid poſſet: nam vnà cum Marito ad Parentes pergit, res noſtras opportunè inſinuat monetque ne neceſſariæ educationis, quam à fratre acciperent, prætextu, eos à ſua ſalute reuocaret; ſe vna cum

Marito

Marito, huc eo conſilio veniſſe, vt eos domum ſuam abducerent, quamdiu vixerint lautè alendos: His alijsque cohortationibus euicit Monica parentes, domum ſuam adductos rebus diuinis imbuendas curat, & ſacris noſtris initiandos; non ita multò poſt, vterque in morbum incidit, quo in morbo cum à multis fatigarentur vti tandem agnoſcerent ſe deſertorum Deorum pœnas luere, ſibi tandem conſtiterunt, maximè auctore Monica, quæ non ſegnior fuit in conſeruanda quàm paranda parentum ſalute ſempiterna.

Fama legis Diuinæ non intra vrbis muros dumtaxat quotidie aliquos Chriſto accerſit, ſed etiam è Metropoli, in vicinas vrbes atque oppida excurrit: vicino ex oppido viri duo cum iam noſtræ legis ſanctitatem, ſolâ famâ cognitam amplexati eſſent, fidei Chriſtianæ ſummam quę in eorum ſorte manus venerat, cum tota familia didicerunt, ac deinde vt perficerent quod cæperant, domum noſtram bidui itinere contenderunt, eo conſilio, vt in multos dies in vrbę diuerſarentur: cupiebant res ita nouas ac ſanctas non curſim audire. voti compotes facti, rogauerunt è noſtris aliquem ad erudiendam initiandámque familiam vniuerſam, qui cum eo conceſſiſſet, reperit domeſticos omnes Chriſtianæ quoque legis compendium memoriæ comendaſſe, præſtolarique doctoris aduentum. iamq;

ad ba-

ad baptiſmum comparatis omnibus, inanium Deorum caterua ad rogum cogebatur; ſenſit id filius vnius ex ijs iam adultus, qui vnus cæterorum exemplo minimè mouebatur, itaque Deorum ſuorum miſertus, quod ipſi à ſe non poterant, ipſe ab illis auertere parabat incendium; quot igitur potuit occultauit, verùm parens acriter multato filio, miſeros è latebris Deos eruit, & cæterorum fortunam ſubire fecit: Expurgata iam domo, ſalutari quoque ſeipſos fonte dederunt eluendos. Præter harum familiarum capita, nonnullæ erant mulieres, quæ idem optabant, ſed quoniam id à ſuis coniugibus minimè impetrarunt, ſubmiſſis imaginibus ac libellis doctæ ſunt, qua ratione baptiſmi vicem, concepto de peccatis dolore ſupplerent,

Hac meſſe lætus Noſter redijt ad ſocios cum exultatione portans manipulos ſuos.

Reſiden-

Reſidentia Xauceana.

IN hac duo ſacerdotes P. Gaſpar Ferreira & P. Emanuel Dias ambo Luſitani reſedêre, quibus totus annus abijt in patiendo: nam tametſi Neophyti culti ſunt non ſine fructu, tantum tamen in gentilium animos olim ortæ de nobis ſuſpiciones, & Cantonienſium vani metus irrepsêre, vt cum noſtris agere, nedum Chriſti ſuſcipere ſacra, reformident: Itaque ne vnus hoc anno fidelium numerum auxit, ad quos tamen alliciendos non antiqua ſolum ſed recenti Patrum induſtria inuitabantur; Nam natalitia celebritas aucta eſt compoſito perelegantcr ſacello domeſtico, cuius tectum ſole, luna, ſtellisque auro micantibus laqueatum ipſius cæli ſplendorem effingebat: Non defuêre ſpectatores, ſed neque admiratores, verum hæc in oculos, non altius penetrarunt, nemo fuit qui hoc ſpectaculo de diſcutienda errorum nocte laboraret. Sub idem ferè tempus ad hanc prouinciam luſtrandam ex more viſitator acceſſit, quo tempore vicinorum Magiſtratuum ac litteratorum magni ſolent eſſe concurſus, ij frequentiſſimi ad ædes noſtras ventitabant, ſed nec hoc ſatis fuit ad eximendos popularium vanos metus, qui enim ventitabant è vicinis erant vrbibus & oppidis.

In mo-

In more poſitum eſt priuſquam ad luſtrandam vrbem aliquam Prouinciæ viſitator aduematiat, ab eo præmitti vnum aliquem è viciniaMagiſtratum qui ſuo nomine omnia perluſtret, venturumque viſitatorem, ne planè nouus accedat, de omni re faciat certiorem. Ad hanc vrbem miſſus eſt vicinæ vrbis Gubernator, qui munere ſuo perfunctus, dum viſitatorem præſtolatur, ad ædes quoque noſtras viſitandas acceſſit, non tamen vt iudex ſed amicus, nam ſolitis ritibus perurbanè exhibitis, etiam non tenue pecuniarum munus, ipſe ſua manu obtulit, quæ in Magiſtratibus non eſt vſitata humanitas: pater ſuſcepit, quod reijci Magiſtratuum munificentiam inurbanum, neque in hoc congreſſu ſtetit humanitas, ſæpe litteris, ſæpe muneribus, ſæpe conuiuijs amicitia rebus poſtea noſtris multum profuturanoua, mque ſedem paritura confirmabatur, vt anno inſequenti referetur. Idem cum die quodam ab inferiore ſibique ſubdito Magiſtratu excipiendus eſſet conuiuio cum alijs tribus, qui vrbanas gerebant dignitates; atque intelligeret hoc epulum parari in vicino fano, cuius Miniſtri tanto dudum noſtros odio proſequuntur, miſit qui inuitatori nunciar, etſibi epulum apud idolorum Miniſtros non placere, habere ſe amicum quendam (Patrem nominat) non procul ab eo fano, gratum ſibi fore, ſi apud eum epulum inſtruatur: hoc eius artifi-

cium

ciũm fuit vt hac occaſione noſtros eũm tribus illis vrbanis Magiſtratibus conciliaret. Dictum factum, in illo conuiuio, aſſidentè cum conuiuis Patre, multa de noſtrarum eruditione, libris, lege; quæ vix ſine rubore audiri poſſent, commemorauit.

Alius quidam qui Xauceanam rempublicam inter primarios Magiſtratus gubernabat, tametſi Patribus non erat infenſus, hactenus tamen, neque ad ædes venerat, neque ſuis temporibus oblata ſibi à Noſtris munuſcula rependebat, vulgoque parum vrbanus & aliquando elatior habebatur: Is neſcio qua ex cauſa, cum aliquando domum noſtram veniſſet, inuſitatiori Patres humanitate tractauit, quam vel ab ingenio ipſius vel à dignitate ſperari licuiſſet. de lege noſtra illatus ſermo, (vt ſemper in omni congreſſu ſolet) eum mirè recreauit, ſed potiſſimum de vita æterna cum ſermo incidiſſet, nimiopere captus, ſupremo illam in cælo eoque immobili tranſigi, è noſtris aliquem ſecum in Patriam abducere cupiebat: Ea erat Quancianæ Prouinciæ Metropolis, quo nondum ſocietas noſtra penetrauit; quod ſi fieri potuiſſet, non exigua ſpes fuiſſet eum Chriſti ſacra ſuſcepturum, nam interim dum publica gerunt munera, potiſſimum extra vrbes regias, eſt perdifficile, quòd neque illi ad nos ſine nota ventitare, neque nos in eorum domibus cum eis colloqui,

S niſi

niſi vbi iudicia exercent, coram innumeris curialibus, poſſumus; à quibus obſeruari ea quæ dicunt aut faciunt & ſæpe perperam explicari ſolent: ſed hæc opportunitas vt aliæ quotidianæ, operariorum aliarumque rerum multarum inopia, elapſa eſt. hos Magiſtratuum fauores Deus optimus maximus pro eo quo hanc Eccleſiam amore proſequitur, laboribus rebuſque aduerſis temperauit. Et ſi Europæos delectabit felix rei Chriſtianæ progreſſus; nos excitabunt, opprobria, carcer verbera, exilia. Incipiam ab eo quod fuit leuiſſimum.

Vicinum illud fanum cui ager à Magiſtratibus ereptus, extruendiſque ædibus noſtris aſſignatus, ſemper eius fani miniſtris ſtomachum mouit, & nouis incrementis antiqua nutriebantur odia: fano ſuo profani illi ſacerdotes portâ nuper ingenti aperta, vicum eodem vtrinque erectis parietibus direxerunt in alterum è muris, horti noſtri paries pertingebat, iuxta quem erat forte officina lignaria cuius tectum ſupra parietem nonnihil eminebat; eo tecto bonam fortunam ſibi eripi ſuperſtitioſo augurio arbitrati, obnixè, vt parieti æquaretur, laborabant, neque noſtri renitebantur, ne leuibus ex cauſis iurgia concitarent, verum dum Noſtri nonnihil cunctantur, eam moram, repulſam interpretantibus, ijsdem proculdubio auctoribus, litteratuli nonnulli, impotens ferè hominum genus,

genus,lapidationibus omnia diruebant,ad quos è Patribus vnus cum fratre noſtro ac famulis accurrit ſciſcitaturus quid molirentur,ecquid vellent? cum in conſpectum furentiũ ventum fuit,facta manu,pileo detracto pugnum in faciem ingerit aliquis ac multis inſuper iniurijs afficiunt; quo perfecto milites glorioſi receſsêre,iactantes etiam noſtros omnes ab ſe trucidatos. Eam iniuriam tametſi noſtri Magiſtratuum auctoritate,quorum fauor in manibus erat,vindicare potuiſſent, maluêre tamen ferre, quàm nouas turbas concitare. profani illi ſimulacrorum miniſtelli ſibi metuentes, omni ope hoc à ſe factum remouebant,eius inuidiam in lapidatores illos reijcientes, ſed ſatis conſtabat quo fonte cuncta manarent, neque noſtra id admodum referebat,qui hæc non ab ipſis,ſed ab ipſo Deo permittente pateremur.

Inter eos labores quos in hac domo ſocietas noſtra tulit,numerari quoque debet mors vnius è noſtris fratribus, quæ licet illi fuerit laborum finis,& quietis, vt ſperamus, initium, non parum tamen paſſi ſumus ex eius morte detrimenti: Is Anthonius Leitam dicebatur, qui Macaënſi in oppido natus parentibus indigenis,ſed Chriſtianis,annos quindecim non amplius natus, ad hanc expeditionem venerat, in qua decennium totum prius

ſocietatem quàm impetraret, patribus ſe probauit, alios ſex in ſocietate ita vixit, vt magnum moriens nobis ſui deſiderium reliquerit. Nam & litteris Sinicis iam probè imbutus, multum rem Chriſtianam in Catechiſtæ munere promouebat, & domeſtica virtute vitam religioſam cohoneſtabat; Erat inprimis paupertatis cultor egregius, nam & minutiſſima quæque ſtudioſè colligere & in vſus domeſticos ſolebat aſſeruare, & vt erat natura viuax & acer, nulli labori parcebat, ſeque ipſum ſemper aſperè tractabat, paucis vulgaribusque contentus: Cum his alijsque dotibus inſtructus, multa nobis de ſe per ætatem promitteret, hæreditario familiæ morbo, præmaturè correptus in phtyſin incidit, & ſenſim tabeſcere cæpit; adhibiti ſunt fruſtra medici, quibus ille ad nutum parebat, ab vno ſexaginta cauterijs aduſtus, nunquàm refugit aut doloris ſenſum præ ſe tulit, inſignique tollerantia quà ægritudinis moleſtias, quà naturæ feruenticris impetus reprimebat: Ad extremum ingraueſcente iam morbo magnam concreti ſanguinis copiam ore vomuit; quare ad cælum patrium amandebatur, in Collegio Macaënſi vel ſalutem recuperaturus, vel in lætiſſimo Patrum fratrumque conuentu animam Deo daturus: ſed neutrum illi contigit: Nam cum in Cantonienſis Metropolis portum perueniſſet, exceptusq; fuiſſet à Luſitanis negotia-

toribus

toribus perhumanè, poſt biduum in eorum nauigio ſanctiſſimè animam efflauit, decimo Iunij, ſexta feria, ea ipſa hora qua Chriſtus in cruce ſpiritum Patri reddidit. & notatū eſt non ſine admiratione ab omnibus, eum dum viueret mortuo ſimiliorem fuiſſe, dum moreretur viuo: nam longa eum tabes cadaueris imagine deformarat; verum vbi animam efflauit, viuax ei color & hilaris vultus, quem ſanus habuerat rediijt, vt planè videretur oſtendere nobis voluiſſe, ſe in vita mortem, in morte vitam reperiſſe. eius corpus in Collegium Macaënſe delatum à noſtris, imò etiam à ſcholaribus funebri pompa exceptum, in communi noſtrorum ſepultura conquieſcit.

Hunc fratrem noſtrum ægrum alius comitatus fuerat Dominicus Mendez, qui ſimul eius in itinere curam gereret, & alia nonnulla in ea Metropoli procuraret: Inter quæ negotium erat cuiusdam, qui noſtrâ causâ in vinculis tenebatur: ante triennium ex hac ipſa domo cum litteris ad ſocios, in Macaënſe Collegium miſſus, in reditu à cuſtodibus loci, ſeueriſſimè eos explorantibus, qui vltro citroque ad illud Luſitanorum oppidum commeant; vix enim credi poteſt, quam in aduenarum commercio Sinæ ſint meticuloſi atque ſuſpicaces, interceptus cū litteris, quæ Magiſtratibus redditæ & Sinico ſermone tranſcriptæ omnem proditionis metū

exemêre; & tamen pro Sinenſium iudiciorum cunctatione nondum eripi è vinculis captiuus poterat;ad eius libertatem procurandam, frater ille noſter inter cætera negotia miſſus, die quadam ad viſendum in carcere captiuū eumq; pecuniolà donandum ſe contulit, dumque eum hortatur,vt in ſumptu ſit parcus,à ludis abſtineat,ſuamq; captiuitatem moderatè ferat, tum captiuus magno impetu in fratrem noſtrum inſilit; & vt valebat viribus ſolo afflictum occupatis faucibus præfocaſſet,niſi concurrentium turba præſidio fuiſſet. Ereptum manibus ſibi, clamore inſequitur valido: hunc eum eſſe à quo litteras ad Luſitanos accepiſſet, quarū cauſa iam tot años carcere attineretur. iniectæ à Magiſtratuum Miniſtris fratri noſtro manus, & euocato eo,qui carceri præeſt,iuſſus eſt ibi retineri, maximè quod apud eum Luſitanæ monetæ numiſmata aliquot, & litterarum, quas facile iam in fruſta diſſerpſerat, fragmenta reperta ſunt: die inſequenti ad Gubernatoris tribunal vinctus cum accuſatore illo captiuo media vrbe deducitur, tertio demum die, cum bis auditus non fuiſſet,examinatur, & ad ſuperiorem Magiſtratum (haì taõ vocant) qui mari præeſt, & de cauſis externorum cognoſcit, remittendus iudicatur. Ad id tribunal poſtera die deductus,iam catenis vinctus paucis

exami-

examinatur, nullaque lata ſententia, Sinenſium iudiciorum more, quod nemo reorum facile euadit, vterque fuſtuario vapulauit, quæ verberatio acerrima eſt, nam hæc ipſa quindecim non amplius ictuum, vix bimeſtri ſpatio curata eſt; hinc ad carcerem reducitur, defluentis è cruribus ſanguinis riuulis vrbis vicos cruentans, quo cum partim reptans, partim ab alijs ſubleuatus peruenit, nihilo ei mitior carnificina parabatur, nihilo benigniores enim ſunt hic Chirurgorum quàm lictorum manus; niſi nummis molliantur, pænam conſulto augent. frater verò noſter, cum primùm à cuſtodibus carceris comprehenſus, mox Luſitanis illis numiſmatibus ſpoliatus fuerat, Sinis externam pecuniam plusquam externos homines amantibus, nec ab ea tantum ſibi timentibus. Hinc igitur chirurgi, cum ſpes nulla affulgeret nummi, ſupra crudeliſſimam excarnificationem, qua vaſorum fictilium fragmentis, quibus pro nouaculis vtuntur, contuſam carnem in orbem exſecabant, fel etiam piſcis cuiusdam ad augendum dolorem curationemque proferendam, clam miſcuerunt. quàm autem generoſum & fortem ſe præbuerit noſter, vita ſanctiſſimè acta in eo carcere per totos octo menſes declarabit.

Fama quæ alterius mortem in itinere, alterius vincula in Xauceanam nunciabat domum, grauiter noſtros permouit; mox igitur quàm celerrimè potuerunt miſère qui fratris noſtri inopiam ſubleuaret, & libertatem procuraret, illum tamen ego tantiſper dum curatur relinquo, ad eum poſt neceſſariam digreſſionem poſtea reuerſurus.

Miretur aliquis noſtros in aula tam inſolitis fauoribus cultos, in hac Prouincia Cantonienſi, nullam impetrare poſſe vltro citroque cōmeandi libertatem: Id vnde oriatur è ſequenti narratione conſtabit; vbi à ſocijs & ſuperiore Pequini auditum eſt fratrem illum noſtrum in vinculis teneri, in omnes illi ſe partes verſabant, vt aliquod tanto malo remedium inuenirent: at cum auxiliū tegi oporteret, tanto difficiliùs parabatur. Et quod à nemine petere poteramus, ſperare etiam non potuimus. Et ſi Paulus noſter hîc aliquid opis poſſet adferre, tamen omittere quàm præſtare conſultius fuit; ne hanc Eccleſiæ ſurgentis columnam, ſuo quo nunc eſt loco, cum tam certis huius ædificij ruinis moueremus. cum igitur diu multumque re Domino cōmendata, omnia circumſpexiſſent, viſi ſunt ſibi tandem aptiſſimam viam reperiſſe; agebatur tum de faſtis Sinenſibus emendandis, deque lunæ defectionibus ad amuſſim prædicendis; ad eam rem attinebat plurimum Si-

nenſium

nenſium ciuitatum ſitus in latum ac longum Mathematicè definire,eo prætextu poſſe vnũ è noſtris auctoritate publica Cantonienſem Metropolim petere,re autem vera vt aliquam liberandi noſtri fratris iniret rationem, res propoſita eſt vniuerſim ijs Magiſtratibus ad quos pertinebat,omniumque votis comprobata, quamdiu de Cantonienſi Prouincia nullus ſermo, cùm verò ineundo itineri litteræ ab rituum præſide poſtulantur,ipſe petitionem penitus repudiauit.Audiui inquit hos homines Macaënſium aduenarum ciues eſſe, nunquid id agitur vt eo ſe conferant & cum ijs agant?Haud ſino,certam ea res mihi perniciem accerſeret. territus ſcilicet fuit recenti Colai exemplo, res ſic acta fuit: ad Regulum quendam conterminum miſit vnus ex ijs Magiſtratibus ſupremis, quos Colaos vocant, certum hominem. qnid expectas? in eum libellos accuſatorios pluere diceres, vix ceruices ſuas, à ferro tutatus eſt, abdicatus eſt, priuatus eſt. Itaque noſtri ſiluere,non enim hoc loci quicquam valet ratio vel fides; hoc Sinis decretum eſt: cum aduenis extra Regni limites etiam optimis,& in optima cauſſa, nihil comune eſto. hoc quia apud alias gentes inuſitatum, vix ſatis alibi intelligitur aut creditur: hæc igitur cauſa eſt cur tametſi res noſtræ in Regia eo ſint loco, vt omnium ſuperet expectationem, qui quidem huius regni ſtatũ norint, & magni

omnes vno propè conſenſu noſtros foueant, colant, venerentur: ſi tamen quippiam nobis eſſe cum Macaënſibus commercij publicè contra nos probatum fuerit, vno impetu ruent vniuerſa, Regisque ac Magiſtratuum gratia excidemus, tanti eſt apud Sinas tantula cum aduenis extra regni fines conſtitutis commercij ſuſpicio. Et hæc quidem his adhuc temporibus ita ſe habent, donec dominus ſuſpicionum tenebras veritatis ſuæ luce è Sinarum animis excuſſerit: ſi porro in alias prouincias ire placuiſſet, publicis litteris ac ſumptu, nullo negotio id noſtri impetraſſent, ſed quoniam fratri noſtro ſubſidium ferre, nihilque aliud Patres ſpectabant, à poſtulatione deſtitêre; neque enim attinebat noſtrorum alia ex cauſa imminuere paucitatem.

Fratrem noſtrum in vinculis ſuis reuiſamus, Maris ille quem dixi Præfectus, verberati cauſam ad Vrbanum tribunal remiſerat, eaque demandata fuerat quarto primarij Gubernatoris Collegæ; quem contigit per eos ferè menſes alio forenſi negotio diſtentum vrbe ab eſſe, quæ res cauſæ cognitionem morabatur. Interim quæ bonus frater in carcere vel egerit vel paſſus fuerit omitti nullo modo debent: Carcer quo tenebatur tametſi non erat aſperrimus, (nam neque compedes neque ma-

nicas

nicas geſtabat, quod ſemper eius cauſa leuis haberetur,) non defuit tamen, quod ibi pateretur: mos eſt cùm recens aliquis carceri mancipatur tradi eum ſenioribus concaptiuis tribus, qui eius curam gerant, qui excubent, qui inſtruant: hi tres tyronis noſtri vnius, Furiæ rectius quàm Magiſtri, appellandi, cum fratrem noſtrum in ſuam tutelam recepiſſent, ita ieiunijs macerarunt, vt cibum ei non vt viueret, ſed ne moreretur diſpenſarent: Interim enim dum neceſſarium fratri ſubſidium è Xauceana domo, quæ abeſt à Metropoli aduerſo flumine dies minimum duodecim, ſubmitteretur, nemini licebat niſi harpyis illis, fratris noſtri menſam curare, qui vt à ſuis tyronibus largitionē extorqueant, non niſi pacta pecunia donati, eos ſinunt cæterorum in captiuitate frui libertate. Qui carceri præerat, Mahometanus & genere & ſecta erat. Vbi igitur audiuit ex accuſatore captiuo fratrem noſtrum Chriſtianum, & magni occidentis ſacerdotum diſcipulum eſſe, hinc pro eo, quo res noſtras odio proſequuntur, eum parum benignè excepit, & parum abfuit, quin lacerum vt erat à recenti ſupplicio, denuo verberaret: verum vbi audiuit eum de Deo totius vniuerſi conditore, deque alijs legis noſtræ capitibus, tam appoſitè diſputare, præbuit ſe paulo mitiorem, venerationem enim apud Sinas mox parit

littera-

litterarum ac virtutis opinio. Non eadem fuit concaptiuorum, quæ præfecti carceris humanitas; nam ea fæx, vt eſt fere deſperatè perdita, eademque otioſa, nullum omittit iniuriæ genus, quod exequi quidem poſſint: ſæpe eum pugnis, ſæpe calcibus impetebant, nam verborum iacula quid attinet numerare; idque eò magis quo hilari eum omnia vultu verbiſque benignis excipere aduertebant; nihil proderat apud impios eosque ſceleratos, virtutis, quam non nouerant, vis, quæ efferata etiam corda ſolet edomare: ſed hæc initio, nam denique apud plerosque ſuum virtus tenebat locum, & quam initio non aſſequebantur, poſtea cæpêre manſuetudinem admirari. non mediocriter fratrem noſtrum iuuabat in oratione aſſiduitas, in qua magnam diei, magnam noctis partem conterebat; quod vt faceret aliquanto quietius, pretio ſibi alterius captiui ſtationem nonnihil cōmodiorem com, pararat; paupertatem egregiè coluit, nam ſibi ſuis ipſe manibus orizam coquebat, & famulū quem vna ſecum retinuerat, culpa ſimul & vinculis liberarat; nec vnquam adduci potuit, vt alienis manibus vteretur, etſi non deerant, qui exiguo & propè nullo pretio id præſtarent; nudis pedibus, nudo capite, in attrita lacernula incedebat: Ita erat parcus & tam non delicatus, vt ſi quando aliquem ſale conditum piſciculum ad ſiccam orizam adiungeret, tum ſibi epulari videretur.

deretur, accidit die quadam, quæ Eccleſiaſtici ieiunij lege tenebatur, omni eum commeatu numiſque deſtitui, nec eſſe eo in loco, qui charitatem neſcit, quenquam à quo poſſet ſperare ſubſidium, bonus frater mirè lætus, ſe ad hunc pietatis apicē perueniſſe, orationi ſe dedit, quam de Diuina prouidentia inſtituebat, in ea cum ſolatij Diuini plenus, aliquot horas conſumpſiſſet iam factus erat cibi immemor; & ecce, ea fere hora quæ refectioni deſtinatur, admonitus eſt, miſſum è Xauceana domo aduenisſe commeatum, gratijs igitur Deo actis, eo die recentes aliquot piſciculos in obſonium præparauit, frequentes ad ſuperiorem & ad ſocios reliquos & ad fratres etiam & ſcholares noſtros litteras dabat, quæ ſine dubio annalibus dignæ erant: Sed eas ad ſocios Macaënſes miſſas, ego qui cum hæc ſcriberem Nanquini agebam, habere non potui, quanquam audio ex ijs nonnullas iam in Europam nauigare; ſumma earum capita attingam: In primis dicebat ſe dudum à Domino carcerem & vincula petijſſe, quare non ſolum à Patribus non petebat, vti liberationem ſui procurarent, ſed ne ab ipſo quidem Deo id poſtulare audebat, ne ab eo inter ſe pugnantia petijſſe videretur. Nihil ſibi aiebat in his carceris moleſtijs eſſe moleſtiùs, quàm eam quo nos ſciebat ſua cauſſa affici moleſtiam, quoniam ipſe ſibi multos añōs in ijs vinculis promittebat, multa quæ-

rebat

rebat quæ vel ad ſe vel ad proximos pertinebant: liceretné ſibi edulia idolis oblata attingere? in lucernæ ſumptum, quæ ſimul idolis, ſimul toti carceri prælucebat, conuenire? de regulis, quarum eo in loco fuit obſeruantiſſimus multa quærebat; exercitia orationis ac diſcutiendæ conſcientiæ nunquam intermiſit, nihil ſecum volebat diſpenſari, ſcire ſolum quibus legibus teneretur, ſibi certum eſſe, ne morte quidem propoſita latum, vel à regulis vel à ſuperiorum voluntate, vnguem recedere: quærebat quid ſibi & quatenus circa eluendos baptiſmo liceret? Conſcientiam vniuerſam ſuo ſuperiori quoties ei per litteras licebat, aperuit, querebaturque id infrequentius ſibi licere, quàm optaret: Itaque aſſerebat animum ſuum ſilueſcere, in eo feras graſſari, opus fore ſi forte liberaretur, vt denuo in tyrocinij incude recudatur, & tamen metuebat vt liber non is eſſet, qui captiuus. nullus finis erit ſi omnia commemorem, nunquam carcer ille talem viſerat captiuum, nunquam hæc exempla virtutis aſpexerat: Ad extremum è carcere liberatur, verùm id anni proximè inſequentis tempori debetur, de quo ſuo loco.

Nondum tamē his iacturis, aut verius lucris, huius anni res clauſæ ſunt, nam ne fratres noſtri ſibi ſoli gratularentur, Patres quoque in laborū partem ſunt vocati, extremis propè huius anni diebus,

diebus, duo ſacerdotes, qui è Collegio Macaënſi ſubſidio nobis veniebant, à cuſtodibus itidem deprehenſi, venire prohibiti ſunt, ea res contigit in hunc modum. Notiſſimum eſt Sinas externũ neminem in interiora regni admittere, qua ex cauſa in extremis regni Prouincijs, potiſſimum vbi cum externis miſcent cõmercia; quamplurimæ ſunt cuſtodiæ, nõ in telonijs ſolùm ac põtibus, per quos neceſſarius eſt tranſitus, ſed per ipſa quoq; flumina militaribus nauigijs diſtributæ: Externi tamen ſi ſemel in regni interiora penetrarunt, hinc inde cõmeare nullo renitente poſſunt, cuius rei cauſa eſt quod ad interiorum Prouinciarũ Magiſtratus nihil attineat, de ea re inquirere, nec vllum ex huiuſmodi aduenarum ingreſſu adeant dignitatum ſuarum periculum, quin potius ſi abire regno vellẽt prohiberentur, cũ par ſit crimẽ è regno aduenã egredi, & abſq; regia facultate ingredi: hinc fit vt noſtri non minimam in egreſſu difficultatem experiantur, vbi ſemel ingreſſi ſunt nullam in commorando moleſtiam patiantur. ingreſſi porro hactenus fere ſunt ad hunc modum: Luſitani Negotiatores qui oppidum Macaënſe in extrema Prouinciæ Cantonienſis ora ſibi olim ab Sinis commerciorum cauſa aſſignatum incolunt, & qui ex India quot annis eo appellunt, bis fere ad Cantonienſis prouinciæ Metropolim (quæ non Quantum

vt vulgo creditur, ſed Quam ceu, ab Sinis appellatur, nam Quantum Prouinciæ totius nomen eſt) commeant negotiationis ſuæ cauſa, ibi in ipſo portu in Nauigijs pernoctant, interdiu per vrbem vagari, ſuaque cum Sinis miſcere commercia permittuntur: cum ijs negotiatoribus ferè vnus è noſtris ſacerdos ad eorum rem ſacram procurandam per eos dies adiungitur, nam in quadam fani parte, quod eſt in exigua Inſulâ, medio in flumine ſitum, ſacra facere & ſuos conuentus habere conceditur: Eo prætextu ſemper aliqui è noſtris in hunc portum commeabant; vbi eos cum Xauceano ferè Nauigio vnus è fratribus noſtris præſtolatus, furtim Luſitanorum Nauigio ereptos, in Xauceanum ad hanc reſidentiam, quæ prima ingreſſis occurrit, deuehebat. Inde in interiores Prouincias facile tranſmittebantur: hoc igitur anno è Macaënſi collegio, Patres, vt dixi, duo, in huius Miſſionis ſubſidium mittebantur, Alter Pater Iulius Alenis Italus, alter Petrus Spira Belga, præſtolabatur eos iam dies nō paucos, vnus è fratribus noſtris cum nauigio Xauceano, qui vbi aduenisse audiuit Luſitanorum onerariam, ad Patres ſe contulit, de itineris ratione deliberaturus; cum ijs Patribus, venerat alius Pater Ioannes Rodericus, qui pro ſua prudentia rem totam moderatus, ſtatuit cum fratre noſtro dierum aliquot moram interponendam, nam onerariæ Nauarchus rem

odora-

odoratus videbatur; vt igitur res tota ſecretius peragerctur, ad eludendum eum Nauarchum (tametſi nos ipſe luſit) cum Magiſtratuum facultate, ex oneraria in ſcapham tranſiêre eo prætextu, vt ſua litterarum & religionis exercitia liberius à Negotiatorum tumultu ſemoti peragerent, re autem vera, vt Patrum diſceſſum nemo ſentiret. Interim Nauarchus hanc lucri occaſionem minime negligendam ratus, cum vno è militaribus nauigijs quæ in hoc flumine excubabant, paciſcitur, ſe ſi viginti aureos, prædæ partem rependerent, Patres traditurum: Ex ſcapha per ſummam diſſimulationem Patres nullo vt arbitrabantur aduertente, in Nanceanum nauigium tranſiêre, ſed onerariæ Nauarchus adhibitis exploratoribus omnia rimabatur, à quo deinde milites moniti, noctu Patres in nauigium ſuum ingreſſi, cultu iam Sinenſi induti, vix ſe capiebant præ gaudio, cum ſe viderent voti iam compotes factos: atqui poſtridie priuſquam illuxiſſet, iter arripientibus, & iam ad quatuor fere leucas progreſſis, ecce à tergo imminet militare nauigium, quod ſumma remigum contentione præeuntes aſſequi laborabat, nec difficile fuit; cum propius acceſsêre horrendis clamoribus Patrum Nauarchum increpantes, ſubſiſtere coegerunt, ſucclamantes velle ſe inueſti-

gare numquid veritarum mercium euenerent: Ingreſſi nauigium mox ſciſcitantur vbi nam eſſent duo illi Patres externi, qui ementito habitu, in regni interiora penetrare meditarentur? quos vbi conſpexêre, ſibi mutuo gratulantes inuentam à ſe prædam, exultabant. Incidit hoc in diem Beati Thomæ Apoſtoli ſacrum, cuius fauore ſine dubio factum, vt hæc res minus infeliciter cederet quàm ſperabatur, neque ex ea, mala quæ oriri poterant, naſcerentur; Hi enim cuſtodes præ publica te ſuam magis tractabant, largitionemque exigebant. perculit ea res noſtros, vt par erat, non tam de ſe ſolicitos, quàm de tota miſſione, Adhæc nauigabant cum Patribus quatuor pueri, qui ad hanc miſſionem vetere illius inſtituto veniebant, eo conſilio, vt ab illa iam ætate Sinenſes libros & Chriſtianam pietatem edocti, ſi ſe ipſos Patribus egregiè probarent, in ſocietatem noſtram pòſt aggregarentur, ij, tametſi annorum non amplius eſſent duodecim aut tredecim, non cecidêre animis, ſed fuit ex ijs natu minimus qui diceret ſe vna cum Patribus mori velle; frater noſter tentâre cæpit ecquid poſſet oblata largitione componere, ſed quoniam in pretio admodum diſcrepabant, nihil concludebatur. Ergo viſum eſt Patribus omnino neceſſarium P. Ioannem Rodericum,

à quo

à quo pridie diſceſſerant admonere. Nec abnuêre milites in quorum erant poteſtate, qui Luſitanorum interpretem euocari volebant; ad eam tamen rem vnum è ſcholaribus noſtris, qui fratris noſtri erat comes, amandare noluerunt: breuem ſchedulam vnus è famulis tulit ad Luſitanos, qui iam non procul aberant. Pater Ioannes Rodericus, amicos duos negotiatores rogauit vti vna cum interprete Patribus ſubuenire ne grauarentur, nec id grauatè preſtitêre, cum conſulto Pater ei ſe negotio tractando rectius eximeret. milites illi ſanè gloriosi vbi aduenientes duos Luſitanos procul conſpexêre, metu conſternati Patrum nauigium in tutiorem locum deducere nitebantur; ſed ſunt à fratre noſtro prohibiti, nec eſt dubium fugam arrepturos, ſi ſtrictum aliquem gladium conſpexiſſent: quoniam autem nondum ſciebant Luſitani Magiſtratuumné an ſua priuatim id auctoritate tentarent, maluêre vim continere ne ſua commercia perturbarent, maioresque turbas concitarent. Itaque poſt multa vltro citroque agitata demum de pretio conuenêre, quod fuit aureorum ferè centum: quod cum factum eſt, Patres Sinicam veſtem exuti ſuamque denuo induti, ſcapham illam ſuam à ſocio excepti, magno cum doloris ſenſu repetiuêre: Die inſequenti, venit ad Luſitanorum

T 2 onera-

onerariam, neſcio quis vigiliarum præfectus, qui vt aliquam iudicij formam præ ſe ferret (nam illi non minus quàm noſtri ne res ad ſuperiores Magiſtratus deferretur formidabant) Patrum Nomina, vultumque delineari iuſſit, ne fortè iterum penetrare tentarent, ſed hæc perfunctoriè fiebant, certum enim eſt id Magiſtratibus minimè innotuiſſe; quod Diuina proculdubio prouidentia factum eſt; nam ea res vniuerſam miſſionem in apertum diſcrimen erat adductura: quæ Dei prouidentia non in hoc ſolum eluxit, ſed etiam quod ij nebulones pecuniarum ſubſidium, quod ad ſingulas ſedes Patres ſecum vehebant non ſenſêre, quod ſi ſenſiſſent præterquam quod in tantis rei familiaris anguſtijs, hoc vnicum erat præſidium, idque mutuo acceptum, ij opimiore præda irritati, quam eripere nemo potuiſſet, in noſtrorum poſthac ingreſſum auidius inhiaſſent: Patres iam in tutum cum pueris illis recepti, nauarchũ quoque liberarunt, & fratrem noſtrum cum ſocio ſcholari ac pecuniario domiciliorum ſubſidio, in Xauceanam ſedem qua celerrimè poſſent & occultiſſime ſe reciperent mandarunt, & ſaltem neceſſariam Patrum ſuſtentationem in tuto collocarent. quo perfecto rediret ad Patres puerosque denuo, cum nihil eſſet ſuſpicionis, abducendos, fecit omnia vt iuſ-

ſus

ſus erat non cautè minus quàm animosè, ſed cum rediјt Luſitanis negotiatoribus viſum eſt periculoſum, ſi fortè in reditu Patres deeſſe numero, cuius aliquando ratio initur, Magiſtratus deprehenderent; Id verebantur, quoniam nondum certo conſtabat eam rem ad Magiſtratus minime perueniſſe, quod ſi certum fuiſſet, Patres nullo negotio ad ſuam ſtationem penetraſſent, ne tamen vanus eſſet fratris noſtri reditus quatuor illos puerulos, Luſitanorum Nauigio furtim ereptos, ſecum abduxit qui deinde in varia domicilia diſtributi, ſua Sinica ſtudia inchoarunt; Patres verò iam deplorata profectione primo quoque tempore, quo ſine periculo fieri potuit Collegium Macaënſe repetiuêre, vbi accenſis è dilatione votis, ingreſſum ſuum præſtolantur, quem ſperamus facilem fore nec diuturnam moram, imo quo ægrè Dæmoni faciamus, forte pro duobus quatuor duplicato fænore recipiemus: hunc finem habuit hæc tam periculoſa captiuitas, in qua Dominus vt ſuum ſeruet inſtitutum ita ſuos affligi permiſit, vt ſimul ſemper oſtenderet quis ille ſit, cuius potenti manu liberentur, vtque hoc tecti præſidio nullum in ſua cauſa periculum adire reformident.

Hic quoque finem facio huius anni rebus geſtis, quas Dominus mira varietate contexuit, vt qui

vt qui Cruces optant eas apud Sinas inueniri non neſciant; ſed ſimul ſciant eas eſſe fructuoſas; quæ duo ſine dubio generoſos cupidosque Diuini honoris athletas ad auxiliarem manum nobiſcum per tot maria conferendam prouocabunt. nos à R. P. tua preces & ſacrificia ac ſimul vniuerſæ ſocietatis, ad ea, quæ nobis tam ardua Dominus perficienda tradidit, poſtulamus. Nanquini Auguſto Menſe, Anno ſalutis 1612.

Ex mandato Superioris.

Indignus P. V. filius Nicolaus Trigautius.

FINIS.

MAC.C.3.61.